


Ue  
206<sup>a</sup>







JOANNIS FRANCISCI  
DE FRANCISCO

*Medici Turinensis experientissimi*

LIBELLUS AUREUS

DE

VENÆ SECTIONE

Contra F.W.S.

EMPIRICOS



1909 511 244  
FRANCOFURTI & LIPSIÆ.

*Ex Officina Hafniensi, Christiani Hanboldi  
& Johannis Liebe.*

Typis AUBRYANIS, M DC LXXXV.

JOHANN KRÄMER  
DE WARENBÜCHER  
Mittelschulbibliothek  
LIEBLICHES WERK  
VON  
VERFASSER  
HALLÉ



TRADE MARK  
In Offener Buchhandlung  
Halle



Illustriss. Et Excell. Dom.

**DON TIBERIO  
CARRAFÆ,**


**Principi Bismiani, &  
Scillæ.**

*Aurei velleris Equiti dignissi-  
mo, &c.*

Joannes Franciscus de Fran-  
cisco, foelicitatem.

† 2

Tria



Ria sunt Excellentis-  
sime Princeps, quæ  
libellum hunc diu  
latitantem in tene-  
bris tibi me dicare compellunt,  
qui nunquam fuisset lucem vi-  
surus, nisi sub umbra alarum  
tuarum foras illum propalare  
deliberassem.

Est primum auctoritas &  
magnitudo nominis tui, qui  
in amplissimo nobilissimæ fa-  
milie tuæ theatro inter tot Du-  
ces, & Principes prima tenendo  
velut



\* \* \*

velut pyropus inter uniones,  
& gemmata effulges. A cujus  
fulgore tanquam ab Atlantico  
scuto percussos, si qui temerè  
audebunt detractores accedere  
subitò casuros in terram, &  
prorsus evictos iri confido.

Movet secundo me illa mo-  
rum tuorum urbanitas, & ve-  
tus consuetudo dignissima,  
qua quemvis alloqui volentem  
hilari fronte non sine majestuo-  
so vultus tui decore libenter  
audire, gratè suscipere, ac  
humanè protegere nunquam  
lassaris, quo fit, ut singulo-  
rum animos à quibuscunque  
conspiceris mira quadam pro-  
pensione tanquam ad heraclii-  
um lapidem ferrum in tui dile-

)†( 3

ctio-

\* \* \*

ctionem, & observantiam tra-  
has: studiosorum præsertim,  
quos omnis disciplinarum ge-  
neris professores, apud te ha-  
bere, eorumque studia fovere,  
& diligere more Imperatorum,  
& Regum his meritò assimilan-  
dus, es ab ineunte ætate assue-  
tus; non ignobili etiam ex-  
emplo Macedonum Regis Phi-  
lippi, cui Xenophontem ha-  
bere semper ad latera, ipsum-  
que venerari, & diligere nun-  
quam displicuit, qui quidem  
& amplius Rex quàm magnum  
illum Alexandrum sibi ortum  
filium audisset, non tam de  
illius nativitate est gavisus,  
quam quòd tempore ortus is  
fuerit eximii Philosophorum  
Prin-

\* \* \*

Principis Stagiritæ , sub cujus  
doctrina , & eruditione erudi-  
endum , & disciplinandum si-  
lium tradere posset, sicut proti-  
nus est postea exequutus, quem-  
admodum & provectus jam  
Alexander Anafarcum apud se  
habere , aliosque Illustres &  
præcellentes viros excolere , &  
observare semper dilexit. Un-  
de mirum non esse debet si ho-  
rum tu imitatione, & ememplo,  
addita & plus vivacitate ingenii  
majore in multiplicium rerum  
cognitione , & intelligentia  
eminentius ipse quam hi, & illi,  
digniùsque profeceris. Quo  
circa magis confido posse te lu-  
mine tui intellectus , quæ longo  
usu , evidentibusque sunt mihi

)†( 4 ratio-

\* \* \*

rationibus dicta favē apprehen-  
dere , apprehensa dijudicare,  
dijudicata protegere , ac pro-  
tectā à detractorum morsibus  
vindicare.

Est tertium quòd quùm mo-  
dernorum practantium perfidi-  
am in sanguine sic libenter ,  
[ ut faciunt ] detrahendo , &  
inconsiderate , cujus respectu  
eorum à me damnatur abusus  
etiam te olfecisse intelligam , &  
nauseabundum similiter factum  
eorum fugere consuetudines ,  
nugasque contemnere , eò li-  
bertius rem gratam tibi facere  
ratus opusculum dicare sum  
ausus , futurum exinde sperans,  
ut dictorum veritate ipsa duce,  
comiteque fortuna mea bona  
tan-

\* \* \*

tantum nacta te habere confor-  
tem, licet pusillum sit opus,  
reguli tamen exemplo, qui mi-  
nimus avium inter alas magnæ  
Aquilæ absconditus potuit su-  
per volare, volutari sic ipsum  
possit alarum tuarum fœtu, &  
favore per manus legentium.  
E cuius aquis, & rivulis debiti  
cuique fructus reddantur, &  
premia condigna: Deo præ-  
cæteris honor, & gloria: Tibi  
obsequium, & laus: benè me-  
rentibus solatium, & gustus:  
invidis mæror, & dolor: detra-  
ctoribus dedecus, & confusio:  
benè valentibus præcautio, &  
norma: ægrotantibus salus,  
& vita: mihi verò unum tan-  
tùm nomen veridici obveniat.

)†( s Acci-

\*  
\* \*  
Accipe igitur Excellentissime  
Domine tractatum libenter,  
protege, faue, si ut tuo ipsius  
nomine significatur, & æthi-  
mologicè transposita litera sic  
fore promittitur ) **TIBI ERO**  
gratus **TIBERIO.** Vale.



**ANTO-**



ANTONIO SANTORELLO.  
Medico Excellentissimo.

Joan. Franciscus de Francisco .  
S. D.



*Quamvis ego longo  
annorum decursu  
ex quo tempore te-  
cum in scholis simul  
logicam decebamur  
D. Jacobi Marotta praeceptoris no-  
stri Illustris non solum vultu & ef-  
figie, sed etiam nomine ipso, & totus  
tibi è memoria potuerim excidere  
(ut certè jam excidi, quod reverè  
non adeò familiari inter nos junge-  
bamur*

bamur necessitudine, ut hujus dulci  
 recordatione, ac praeiterorum me-  
 moria ad has paucas amplectendas  
 lucubrationes, & protegendas amo-  
 re ductus debeat commoveri.) Tu  
 tamen qui acumine ingenij, memo-  
 ria fecunditate, at singulari peri-  
 tia vix tunc adolescens maxime  
 spei, & carus ob id Magistro cæte-  
 ris præcellens nulli admirationi  
 non eras, non tam facile potes ab  
 aliorum mente & recordatione la-  
 bescere: eo magis quod præter alia-  
 rum scientiarum tuarum acer-  
 vum quibus abundas, ad medicæ  
 amplius doctrinæ culmen, quam do-  
 ctissimis tuis editis commentariis,  
 publicis lectionibus, ac practicis per  
 Urbem exercitatis operibus quoti-  
 die illustrare non desinis, adeò sub-  
 lima-



limatus conspiceris, ut meritò ad te  
 unum non aliter quàm ad Aescula-  
 pium quemdam languentes confu-  
 grant, & ea propter nunquam non  
 antiè oculos ( & si longè absit ) mihi  
 do versaris, nedum forma ipsa qua  
 speciosa pollebas, sed morum quoque  
 mansuetudine, & probitate, è qui-  
 bus tale de te simulachrum est mihi  
 corde depictum sic que memoriter  
 teneo & observo, ut nullis unquam  
 temporum injuriis, nullisque secu-  
 lis possim nec debeam tui oblivisci.  
 Hac igitur fretus humanitate par-  
 vulos hos labores sub clypeo nomi-  
 nis tui ad ipsorum tutelam editos,  
 & commendatos volo. Sat scio  
 arduam nimis suscepisse provinciã  
 inveteratam, & communissimam  
 Practicantium in medendo feбри-  
 bus

bus incesſionem crimen videlicet in  
destrahendo sanguine detestando, in  
quo (crede mihi, ingenuè loquor) ob  
quantus est error muliorum, ma-  
gisq; Empiricorum abusus, qui sta-  
tim atque quis incalescat, egrotet,  
aut quomodocunque languescat  
non aliam excogitant opem quàm  
sanguinis missionem, maximè in  
febris qualescunque sint cæ, sit  
qui vis laborans, quo vis tempore  
neminem sine huiusmodi auxilio  
prætereuntes: attamen apud ex-  
pertos viros veritatis amicos &  
doctos valde confido, ut si minus  
obvertere, saltem aliquo passu effre-  
natum illorum cursum & precipi-  
tantiam in detestandum abusum  
retardare sufficiam, præsertim si  
ab aura zephiri tui, & tua lumine  
clari-

claritatis vera fatentis afflari  
mea dicta, non improbari noscan-  
tur, qua ut recipere velis & com-  
mendare te etiam atq; etiam rogo.  
Vellem sanè Neapoli coram hac  
alloqui & exorare, sed vereor ne de-  
curtati sint dies, ut vivente me hac  
ad te perventura fore sperare pos-  
sim. Quo circa magis te obsecro  
obtestor, ut quoquo tempore ad ma-  
nus fortè pervenire contingerit, si-  
minus benevolentia duci in obli-  
tum hominem potes, urbanitate  
saltem qua docet humanos viros,  
& erga condiscipulum gratum ea  
recipere velis & honorare, non  
opusculi vile pretium inspiciens,  
sed magnam amantissimi tui te  
observantis devotionem. Vale.

Del



Del Dottor Pietro Francesco Se-  
creto all'Autore.

**E** Qual rassettri al gran Dirceo canoro  
De l'Empirice scuol l'error dannando,  
Che col più caro e natural tesoro  
Va chi langue di vita ancor priuando.  
Se non trai tu le pietre al men recando  
Vai da raggion guidato altrui ristoro,  
B se diè quegli, il moto altrui cantando,  
Tù moto e vita dai nel dir sonoro.  
La ve di Morte ad onta, e senza pari  
In marmi eterni à lettere d'oro impresso  
Vedrafi il nome tuo da gli anni auari.  
Poiche il nemico stuol vinto & oppresso  
Fisico esperto in fragil carte impari  
Con l'altrui vite à immortalar te stesso.





DE HODIERNO  
PRACTICANTIUM  
ABUSU

Sanguinem mittendi semper  
in febris.

*Io. Francisci de Francisco Medici  
Turturensis tractatus.*

CAPUT I.



Anta medentium empiricè  
fuit dignitas apud Antiquos &  
celsitudo, ut apud eos quoque  
qui rationalem medicinam se-  
ctantur, non parum etiamnum  
retineat medendi sic modus pri-  
stinæ auctoritatis. Paucissimos enim videre licet,  
qui perquisitis causarum generibus singulis singula  
in morbis ( ut decet ) animadvertant & perscru-  
tentur, & qui cujusque morbi audito nomine ( ut  
a s. B. C inquit

E

inquit Fernel. ) seu quod tertiana sit febris, lateralisve dolor, nephritis; non statim ad communes medendi præceptiones confugiant, sive ab Altimario vel Massaria, sive ab alio quovis Practicante didicerint. Unde ortum fuisse arbitramur, ut neminem hucusque inter medentes noverimus, qui de mittendo sanguine in febribus sanam doctrinam, rationalemque methodum servet, sed omnes ferè in salebras incidant decepti à verbis Galeni eo loco methodi. xj. *Saluberrimum est igitur febribus venam incidere &c.* Qui quidem nequeunt ad mentem doctissimi viri interpretationem facere, eo ipso quod quivis febricitando decumbit, protinus ad extrahendum sanguinem & bis & ter indifferenter procedunt, nulla neque febris ideæ, neque laborantis naturæ, ætatis vel habitus, neque regionis cœlique status, neque aliorum conditione servata, sed juxta semper in omnibus idem servando, unius tantùm hodierni sic usus, & Neapolitanæ Scholæ imitatione (ut dicunt) alioqui doctissimæ, & celebrium medicorum cœtu in ea florentium clarissimæ. Quod quam sit perniciosum humanæ saluti novimus nos, qui quadraginta annorum spatio quo medicinam facimus ex pluribus observationibus factis innumeros febricitantes notavimus, adhucque indies notamus Empiricis istis commissos, meritò appellatis empiricis dum non ratione, & ut est præcepto occasio, sed ad aliorum imitationem medentur, ab importunis, minusque decentibus sanguinis detractionibus factis, vel miserè jugulatos, & mortuos, vel saltem valida corporis constitutione adjutos in fœdos pallores, longævosque morbos fuisse protractos hydropes, cachexias tremores, arthritides, paralyfes &c.

E qui-

E quibus ipsorum turpiter erratis in operibus artis, & si tot videant oblædi, miserèque deperdi, non ipsorum inscitix, & perfidix volunt esse adscribendum, sed vel adversæ (ut conquærantur) ipsorum in medendo fortunæ, vel si de intereuntibus post ægris improvidè opere ipsorum interrogentur quomodo inopinatò sic meriantur, respondent. *Se li è malignata la febre, l'è sopra gionto altro male, lo descenso con noua refusa, e vâ te lo piglia.* E contra verò quùm salutare studiosorum progressus, quos ipsi æmulari non valent, circumferri apud gentes animadvertant & commendari, ut horum nomini laudibusque obversentur horummet audent ministeria quæcunque quò magis non intelligunt redarguere, non chartis & penna, quùm in hisce sint veluti *Asini ad lyram*. Sed invido spiritu mordacium linguarum modò factas ab iis studiosis ex arte moras & expectatas concoctiones incusando quod frigidè medicentur & pigrè, si non tam citò ad quartum vel sextum diem (ut mos est communis empiricorum) purgantia medicamenta præscribant: modò quod timidi sint & pusillanimes, quoties non fortia pharmaca laborantibus præbent: modò quod non statim pullos exhibeant in victu, sed cichoreas cucurbitas: modò quod coràm ægris fabulas recensere, & nugari non sciant. Adversus quæ maledicta breviter respondendo (ne multùm digredi videamur) dicimus ad primum. *Melius est cum Romanis sedendo vincere quàm cum Punicis stando vel dimicando perdere. Unus homo nobis cuntando restituit rem.* Vulgatum est Carmen. *Concocta* (ut est in Hippoc.) *medicari atque movere, non cruda, neque in principiis* &c. Modò si expectanda

Etanda ut plurimum est concoctio, cujus tempora  
 & termini non uni, iidemque sunt in omnibus mor-  
 bis, nam breviores habent acuti quàm longi: in æta-  
 tibus breviores, pueri quàm senes: in humoribus  
 breviores pallida bilis quàm nigra: in complexio-  
 nibus breviores cholericus, quàm melancholicus &  
 phlegmaticus: in temporibus anni tardiores au-  
 tumnus quàm æstas, rationabiliter dici non potest  
 omnibus æqualiter atque similiter medicamenta  
 ad quartum vel sextum diem debere præscribi, nisi  
 dicere velint non esse inconueniens, ex expedire  
 pro expurgandis vitiis primarum venarum ad breve  
 sic tempus medicamenta exhibere, quot utique  
 possemus concedere ad eam tantummodò inten-  
 tionem, & modò tamen nobiscum sentiant per-  
 petuum id præceptum non esse debere, neque per  
 fortia semper pharmaca peragendum, sed per  
 lenitiva magis & minorantia, quæ aptiora ad illum  
 usum & commodiora esse quotidiana docent expe-  
 rimenta, veluti est nobis de more facere utpluri-  
 mum, & talia cum fructu sine ullo unquam incom-  
 modo administrare. Quem modum utendi se-  
 quens Amat. lufit. post habita verba de minoranti-  
 bus pharmacis in schol. curat. 75. cent. 2. ita sub-  
 jungit. *Quæ qui vituperant medici, & ipsis non  
 utuntur, à consortio doctorum hominum sunt eli-  
 minandi.* Contra postremum verò quod ajunt de  
 nugis, præter Celsi elegans quod fertur adagium  
 nequaquam verboritate & eloquio, sed accommo-  
 datis remediis morbos curari, egregiè faciunt quæ  
 Medicus quidam de Celico in Civitate Cosentia  
 vernacula lingua colloqui solet lepida verba. *Non  
 ci vonno padrone mio tante chiacchiere a la profes-  
 sione naa ci bisogna bona dottrina.* Non sicut isti  
 faciunt



faciunt transcribere ad verbum à Massaria & Pulverino receptas, quas habent cum promptitudine ad manus, & quas perperam sine iudicio in usum traducunt, & quibuscum se esse optimè receptantes cum teneritate præsumunt, sed in quovis deligendo & applicando remedio maturato discursu discernere an sit simplici an composito utendum, quid sit addendum, quid minuendum, ubi, quomodo, & quando sit applicandum.

---

## C A P U T II.

**I**N quorum observatorum fidem fideque dignum testimonium veritatis licet observationes quamplurimas, historiasque centum & centum recensere possemus, tres tamen aut quatuor, quæ contingerunt his proximis annis placet referre. Et primo de Capitaneo quodam ad guerram Hispano nomine Don Laurentio Collantes altero priore qui obiit in Terra Scalea. Hic quum consistentis esset ætatis, pridieque cibis & potibus largè indulgissent in febrem delapsus cujusdam Empirici monitu ter fuit ineptè admodum malè percepta febre phlebotomatus, ex quo in tantam devenit jacturam virium, antequam nos tardè vocati venissemus ad eum cum altero perito collega, gratia cujus ad verum testificandum historiam referimus, ut oborta sensim frigiditate extremorum, labente pulsu, decolorataque facie (sicut reperimus) mente tamen constans, sine dolore nec molesto ullo symptomate eo ipso modo (ut canit Hicander) *Pallido verde e*

*senza alcun dolore se ne muor l'huomo &c.* quatuor à sanguine missio diebus defunctus sit.

Item secundo recolendæ memoriæ frater noster dilectus Daniel de Francisco legum Doctor in partibus alicujus nominis non certè imperitus quum 37. ætatis suæ ageret annum, annis ferè 32. ab hinc olim retrò elapsis valida febre corripitur, ob quod de probati cujusdam Empirici seniore consilio, concurrente etiam nostro tunc juniore, statim in principio morbi phlebotomatur, ex quo non solum quidquam non est relevatus, sed in pejus vergente febre & symptomatis, tam graviter ulterius laborando est æger afflictus, ut labescente indies, & emaciato jam corpore parum de ejus salute sperare cœperimus, quousque remisso febris ardore, sensimque viribus restauratis, vix est post menses quatuor restitutus. Ex quo tempore suspectam habentes in illo nos sanguinis missionem & improficuam (non erat, n. is de valdè robustis) non amplius eam in tali subjecto, & suarum febrium occasionibus exercere statuimus, monentes insuper ipsum, ut ne pro quantumvis suæ urgentis vitio indispositionis præsidium id, & si tam familiare medentibus sit, vellet absentibus nobis in sui curationem admittere tanquam perpetuò obfuturum, sed fugere (ut dicitur (*Cane peius & angue.*)) Quod quum præceptum reciperet, & nunquam prætereundo in plurium decurrentium annorum casibus bene observaret, meliusque proficuum experiretur, volens interdum inter virorum confessus sententiæ nostræ placitum quasi quid gereret. *Novum ex Africa* (ut dicitur) propalare, sanam tamen opinionem, satisque expedientem suæ complexionis publicè declarabat. Verum postremò factus jam

senior

senior 64. annorum quum infelici suo facto esset Neapolim ductus, ibique post aliquot dies in febrem delaberetur, immemor consilii nostri, vel quod pro loci nobilitate & sufficientia fortasse neglexerit, binam ad sui curationem imperatam (ut est ibi mos præcipi) sanguinis detractionem admisit, unde consequentissimè jugulatus quartus nunc agitur annus ab hac luce migravit.

Item & tertio mulier quædam annum agens ætatis 30. mollioris habitus, corporisque tenerioris quàm sint aliæ de communitate mulieres, quum utero gereret sexto mense nocturno quodam labore & vigilia defessa, hyemali tempore in punctorium lateris dolorem, quem prius est conquesta devenit, an simul cum febre & in calescentia fuerit præhensa non est relatum. Accersitus qui eam curaret, fortasse non facta animadversione an legitimus, an mendosus esset affectus, illicò cubiti venam secuit, & ex latere opposito, quumque dolor persisteret iterum atque iterum sanguinem misit. Verum de pauperato grandiore jam fœtu suo alimento juxta Hippo. sent. 31. sect. 5. aphorism. abortus est subsequutus: post quem remorante natura præinopia fulorum cum sanguine spirituum colligere, se ut excerneret consueta uteri expurgamenta, puerperiorumque immunditias, iterum quarta vice fuit sanguis detractus à pede. Unde procedentibus postmodum illis, additis & postremo quinta vice ano hirudinibus fixis, cum dolore recurrente per intervalla sub noctem albo tincta pallore, subtumida facie & exanguis mente tamen constans, & sine febre (uti referebatur) quarta die inopinatò & miserabiliter animam fudit (Suo damno in hac ægra experti fuere adversarii, quibus

cum contendebamus litium occasione, quantum interfit rationales medicos habere, sua culpa odiosos.)

His item & quarto antiquiorem aliam historiam non minus narrari dignam & memorabilem non pigebit adjicere, quæ in anno circiter contigit 1607. Leonardus Ravascherius unus de Illustri Genuensium familia, is qui Illustris Petri Francisci Ravascherii utilis tunc domini Terræ Turturæ, quæ nostra est patria unicam in uxorem duxerat filiam, quum mox à nuptiis ad habitandum in partibus huc in eandem Terram cum uxore & familia se contulissent, ibidemque frugaliter viverent, post aliquot dies de repente Leonardus acerbo sinistri temporis dolore capitis cœpit vexari, ad quem accersiti nos vespere considerantes causam affectionis externam de facili è non naturalium rerum abusu tunc temporis, & erroribus tum in venere & potu, tum horariorum fructuum esu, & cruditatibus inde acervatis posse pendere, instituto, ad ducendas fœces enemate, & frictionibus cum cucurbitulis ad deflectendas à capite vaporum fuligines, ut modicum conservæ rosarum assumeret, & noctem sine alio cibo transigeret præcepimus, sequente post mane deliberaturi quid amplius esset agendum. Quo mane ad ægrum reversi quum ad cujusdam suasionem de iis, qui Dominos deligere super alios volunt videri, & ultrò sponteque quo non vocantur se immiscentes accedunt, intellexissemus externi alterius Medici eadē nocte factam fuisse advectionem, qui propè jam expectabatur in horas, agendorum deliberationem distulimus quousque alter medicus adveniret, qui adveniens tardiusculè ad serum diei audito morbo statim de  
vena

vena secanda iudicium fecit, distulit tamen id facere usque ad mane sequentis diei tertiæ, à qua facta sectione dolor crevit acerbius, & diem totum & noctem sine quiete detorsit, ob quod iterum quarta die venam incidere ille deliberavit, quumque Nos etiam in eandem sententiam trahere conaretur, sed dissentientes audiret, & inclinare potius ad medicamenti exhibitionem, facta inter nos aliquali disceptatione, cæteris omissis quæ illi poterant rationes obstare, saltem se non posse negare asseribamus curativam indicationem desumptam à iuvantibus & nocentibus esse potissimam, quare quum à prima sanguinis missione facta æger pejus se habuerit, non debere propterea dicebamus amplius videri oportunum sanguinem demere, & non habens probabilia quæ diceret, in hæc tandem formalia verba prorupit.

*Dici buono Francesco ma come facciamo che questi Signori per ogni procaccio ogni posta auisano in Napoli lo progresso del l' infermità, e come li Medici Napolitani non intendono che l' ammalato è sagnato una e due volte ci fanno subito lo cavallo!* Proh Deus omnipotens undenam habent hi practican-tes tale institutum, à qua desumunt auctoritate Hippocratis, à qua lege & præcepto Galeni, ut quasi sit una semper in omnibus ætas, sit semper una complexio, semper habitus unus, una natura individua, vitæ genus & unum peccet semper sanguis in quanto, non alius humor in quali, ob quod eodem modo pariter omnes sit quivis febricitans, quæcunque sit febris, quovis tempore & loco iterata sic egeant semper sanguinis missione? Et redeundo ad historiam, quia majoris is medicus erat auctoritatis & fidei senior in arte & ætate in

sua prævaluit deliberatione, ac rursus fuit vena secta: quin etiam sequente mane quintæ diei hirudinem intra ægrotantis narem è directo doloris affigi præcepit asserens præsentaneum esse remedium id sibi expertissimum: Sed quàm turpiter falleretur eventus postea indicavit, nam dolor factus immanior, & talis ut æger impatiens tempus dolens, interdum sibi percuteret sæpè acclamando. *Oh Dio che ci hò mi à questa capo.* pertinacem sic medicum de medicamento cogitare coegit, post cujus exhibitionem statim dolor evanuit. Verùm quùm è repetita sanguinis missione febris materia, quæ à principio non magni visa est momenti tùm recrudescere, tùm in totum attrahi corpus impura potuerit juxta calum Gal. in quarto de sanit. tuend. cap. 5. continua jam febris facta ramansit, à qua adeò corpus indies illi emaciabatur & liquecebat, ut 40. die adveniens alius medicus è Neapoli missus nomine (ni fallimur) Joannes Baptista, qui Ravascheriis iisdem ibidem inserviebat, & videns ægrum penè consumptum tanquam cadaver cymbæ & navigio committi curaverit, ut inde Neapolim veheretur, quo tandem perveniens post multos labores & dies, quia adolescens erat florentis ætatis, probè curatus convaluit.

---

### C A P U T III.

**Q**Uorum occasione, tùm infaustorum eventuum & fratris & multipliciter alias visorum nauseabundi jam dudum nos facti pauca hæc tandem eruere vomereque decrevimus, non quòd speremus profecturos nos quidquam ad convin-

cen-

cendam pertinaciam Practicantium istorum (Adeo indelebile vitium vehemens ignorantia est, præsertim si cum superbia sit conjuncta, ut habet Gal. 13. meth. in Attali historia, qui Theagenem, Cynicum interfecit) quos cervicosos ob cœnitatem judicii adeo efficit remedii facilitas deterrimo usui addictos atque juratos, ut inde ipsos removere non satis esset Apollo: sunt namque veluti ranæ nescientes omnino à suis paludibus egredi, quos ingenio refractario vocat Gal in lib. de morb. tempor. cap. 4. ut ne si Apollinem quidem habeant vel Aesculapium docentem, ullo modo velint audire, aut possint eorum monita compræhendere, quibus cum nihil habemus commune, sed placuit, & placet hæc dari tum ut foras effundamus mœrorem, tum ut viris gratificemur ingenuis; quibus cum loquimur, ut planum sit ipsis & comprobatum quantum sit malum sic referente Gal. xj. meth. cap. 15. usui qui alienus à ratione sit insuefcere.

---

#### C A P U T IV.

**D**Iximus ex pluribus observationibus factis non quod solis experimentis omnimodam fidem esse adhibendam velimus: est. n. experimentum fallax periculosum Hippoc. primo aphor. attamen quum sunt experimentum identidem atque sæpè prospecta, ut habet Gal. in lib. de subfigurat. empir. cap. 3. & insuper habent rationes adjunctas, non datur amplius ambigendi locus, sed acquiescere oportet & propterea videndum est nobis, an quoque possimus in Gal. doctrina quam profitemur rationes & auctoritates adinvenire, quibus hos Practicantes justè arguamus, & firma opinionis nostræ, nostrique usus fundamenta stabiliamus.

Dices

Piget sanè atque etiam pudet de tot annorum vetusta communiterque sic chalcata via deflectere, sed quum de re agatur tanti ad hominum salutem momenti, quibus si non datur posse conferre, ex Hippoc. consilio saltem non debemus nocere, operæ prætium esse duximus, ut quidquid sic longo observationum decursu non sine studio curaque factarum perdiscere licuit, quantunque ex artis præceptis amplius pro dicendorum veritate confirmare licebit, fidenter & animosè proferamus in lucem. Etenim quemdam novimus venerandæ memoriæ non vulgaris eruditionis virum, publicum Lectorem Neapoli, ac medicinæ professorem primarium adeò pronum in febribus, & quovis alio affectu sanguinis missiones iteratas, & reiteratas præcipere, ut non paucos sit visum fuisse propè rogam phlebotomatis ab eo, & sub phlebotomo esse expiratos, famamque subinde in ejus derisum esse insurrectam ipsum talem phlebotomare mortuos. Quo quid ineptius? quid stultius? Virum alioqui dulci cognomine insignem memoriæ fecunditate & doctrina clarissimum maluisse aliorum exemplo & auctoritate ductum turpiter cœcutire, quàm veritatis dilectione inflammari, ac suo recto judicio & usibus experiri. Nos autem quum adhuc sub baculo Præceptoris essemus in primo annorum è Neapoli in patriam regressu eandem medendi normam in febribus, qualem ad praxim in urbe fueramus adepti, fideliter servare in his partibus per aliquot annos studuimus, sed quum ferè semper optatis inde frustraremur eventibus, nullo unquam ( ut par erat ) à magno præsidio subsequente juvamine: tum quia meminisse dabatur, vidisse quoque à frequentato apud alios medentes



eo præsidio valdè juvenes multos occubuisse, & quasi desolatas inde remansisse familias, mutare stylum in melius aliterque experiri decrevimus, donec contingente casu constitutionis anni cujusdam, quo nonnullæ vagabantur putridæ febres exitiosæ cum punctorio pleræque invadentes dolore in lateribus, hujusce symptomatis causa eò libentius sanguinem mittere in febribus iis (ut jam misimus, parcius tamen quàm esset ex usu) usus ratio, & experecturus animus suaserunt, quo malo plerique præhensi & eo modo tractati ad nonum vel decimum periere: Contrà aliorum binorum eadem febre raptorum, quos phlebotomare nolimus, alter à diuturna quia fuerat antè vexatus quartana convalescens usque ad 40. diem vitam produxit, alter verò usque ad 60. lucem afflictus in luce est tandem servatus. Ex quo tempore melius edocti febre correptos amplius sic festinanter & temerè phlebotomare non sumus ausi, neque audebimus in futurum, ab anno proximè elapso magis certiorati, quod ex 150. febricitantibus in hoc parvo degentibus Oppido satis pluribus pro angustia loci nobis commissis, in quorum curatione fuit dimissum præsidium nemo est propterea Deo favente defunctus, aut quidquam ex eo periclitatus. Nobis quidam ita facere in partibus cum bono semper terminatur successu; dicant quidquid velint cæteri professores. Quos volumus esse rogatos, ut liberè ex adverso quid sentiant, quidque verè sit faciendum edoceant, non animo & furore contentionis, ut contradicant, & mortuos vel absentes non lacerent, sed solo veritatis amore, & pro mortalium salute, non verbis & lingua solum, ut invidos jam prævidemus esse factu-

facturos, qui malo animo geniti atque signati, ut aliorum condigna facta non probent, sibi ipsis contrariari & obesse non curant, verum chartis & calamo consumatiore quod ab ipsis edatur opere, ut ita nos demum convinci posse, nomenque nostrum obscurari confidant: quod si minus exequi id valent, nec literis quidquam consignare dignoscunt, hoc est quod habent cum bestiis commune ut ab iis non differant. Quare præstiterit, eos mutescere, & non amplius loqui: & hæc hæctenus circa experimenta.

## C A P U T V.

**A**D rationes igitur accedentes dicimus duas assignari à Gal. in lib. quos & quan. purga. opr. & esse (ut omnes fatentur) primiores communissimas causas morborum Plethoriam nempe, & Cacochymiam, contra quæ duo vitia duo etiam ars medendi adinvenit generosa præsidia Sanguinis missionem, Medicamentum purgans: Sanguinis missionem ut satisfaceret Plethoriæ, Medicamentum verò ut Cacochymia, ita ut unum præsidium non haberet subire vicem alterius, quod idem est dicere, tunc convenire sanguinis missionem quando sanguis peccat in quanto, tunc medicamentum quando humores peccant in quali, sic apertè distinguit Gal. in fin. com. 31. sect. 6. aphor. Quo stante dum cum putridinis febribus est quasi semper habere negotium quæ frequentius cæteris affligere solent. An eo ipso quod febres sunt putridæ non sunt putres humores qui peccant? An eo ipso quod humores sunt putres, non habent qualitatem illam adjunctam putredinis qua tales sunt, & peccare dicuntur in quali?

Quo-

Quomodo igitur Practicantes h̄tam fidenter sanguinem mittunt, postponuntque medicamentum, quod rectius suum, non illud est proportionatum præsidium ut diximus? Quid aliud rei est quod infererat Gal. xj. meth. cap. 14. putredinem non curari per sanguinis missionem, nisi quòd sanguinis missio non est putridæ febris proportionatum præsidium? Quid clarius hoc dici potest? Quomodo. n. febris auferri potest nisi prius ablata sit causa, putredo ipsa quæ sanguinis missione non tollitur. *Verùm quoniam nec obstructio nec putredo curari per sanguinis missionem potest*, sunt verba formalia Galeni. Quomodo manentem insuper putredinem auferemus, nisi prius obstructio illius causa tollatur, quæ nec ipsa similiter sanguinis missione curatur? De febre loquimur absolutè, ut tantummodò est febris non respectivè si sit plenitudini, alterive symptomati adjuncta, ut pulsans est capitis dolor, suffocans æstus, corporis jactatio atque contusio, dolor & ardor, quæ non sine partis alicujus phlegmone infestare solent, cujus ratione & timore sanguinem mittere tunc sit expediens.

---

## C A P U T VI.

**A**T dicent hi primo se sanguinem mittere in febribus, ut eam plenitudinem tollant. Respondetur jam fuisse concessum quod quando verè adjungitur ea plenitudo, quæ synochum febrem potius est apta facere, non est inconveniens imò necessarium sanguinem mittere, sed quia rarò concursus ejus est casus (ut differetur inferius) rarus similiter ex ea causa debet esse usus præsidi, ad quod jure rectèque instituendum  
ab

ab exuberantis sanguinis symptomatis præmoneri deberent, ac plenitudinis signis ( de pura intelligimus ) quæ à Gal. in lib. de plenit. habentur, ut est totius corporis gravitas, lassitudo tensiva, animi exietas spiritus difficultas, capidis dolor, ardor & æstus partium interiorum, & non sic gratis supponere eam de facto concurrere semper in febricitantibus quibuscunque, quùm extraneum sit, & prorsus à veritate alienum, nam admodum pauca sunt, & hodie est videre respectivè ad communitatem plethorica corpora, in quibus plenitudinis signa notentur, talis & tantæ, ut febres inde succedere sit necessarium, & non omnes sunt synochi febres, quæ ad manum veniunt curandæ, imò ex sexcentis vix una ferè contingit, ut vult. Gal. 3. de cris. cap. 4. Sed dato etiam omnes febres synochos esse. Nonne sunt in eisdem ut plurimum, & sæpè sæpius sui contra indicantes scopi qui sanguinis missionem impediunt? Nonne Gal. xj. meth. cap. 14. & 4. de rat. vict. 74. com. excipit ne sanguis mittatur ventris, s. cruditatem, non firmam ætatem, non validas vires, inhabilem corporis habitum regionem cœlumpue æstuosum, quo tempore ut plurimum febres vagantur, in quibus sanguinem mittere prohibemur? Nonne Galeni consilium pariter extat. 4. de rat. vict. com. 19. quòd etsi morbus sit magnus, etiamsi plenitudo adfuerit, & virium robur sanguinis missione non semper est opus, sed sufficit frictionibus uti balneis, & abstinencia, quæ per tres vel quatuor dies adhibita plethoricam syndromen ad naturalem statum revocare sunt satis? Ad quid igitur sic festinanter & temerè sanguinem mittere sine necessitate? dilectam naturæ thesaurum deper-

deperdere, & vires febre labentes eò magis debilitare, ad quarum refectionem insurgente necessitate intempestivè postea largiusque nutrice cogamur quàm permanens ipsa febris perimittat? Non nè primum quod præcipit Gal. primo ad Glauc. c. x. in curatione tertianarum de quibus est propriè sermo, & dictum est nos habere in curatione frequentius, est ratio ipsa virium habenda? Non eodem cap. 14. meth. xj. ad id respiciens præcepit sanguinem linq̄i debere ad spatium curationis, ut. s. natura sufficeret? quod si in continentibus febribus, de quibus loquebatur eo loco, quarum spatium est brve non ultra transcens septimum die 2. de crisi. cap. 6. jubet Gal. sanguinem linq̄i debere ad spatium curationis, timens ne deficientibus pro eo tempore viribus natura succumbat, quantò magis & nos timere debemus debemus quando cœteras febres curamus diuturniores, quarum pleræque ad menses producuntur & menses, in quarum diuturnitate majore virium firmitudine indigemus? Quòd si accidat etiam (ut sæpissimè solet) supervenire inopinata & repentina symptomata alui fluores spontè vel arte citatos, deliquia, dolores, totales inappetentias, vigilias, aliaquea accidentia, quæ ex Gal. primo ad Glauc. cap. 14. virium etiam augent jacturam, & quorum intuitu etiam sanguinem linq̄i debere ibi commonefacit, depauperato vitæ thesauro unde desumet natura vires si à cibus non licet, qui ut sano dati sunt robur, sic febricitanti concessi augendo febrem sunt morbus 7. aph. 65. si ex uno solo hoc accidente quòd de temporum statu cogitatum non fuerit multos à sanguinis missione fuisse peremptos ibidem testatur Gal. primo ad

Glauc. quid si plurium dictorum subsequi jam contingat postea concursum? Ex quorum omnium animadversione tum providentia conijcere possent hi pertinaces quam sit peccatum temere sanguinem sic profundere, qui carissime est conservandus tanquam naturæ thesaurus, & suppetiæ in levamen futuræ penuriæ, non presentibus solum viribus emetitis, sed futuris quoque prospectis, ut elegantissimus habet Fern.

---

## C A P U T VII.

**D**icent secundo auctoritate obsistendo se sanguinem mittere in febribus ex præcepto Gal. valde generaliter sic loquuti. *Non continentibus modo, sed & omnibus &c.* Respondetur re vera Galenum satis audacem ibi fuisse in eo præsidio injungendo, ratio esse potest, quia quum omnia satis ipse calleret pertinentia ad illud occasionem, tempus, modum mensuram, corporumque dispositionem, ac expedissimum sibi id esset auxilium tanquam bene usum habenti, quum ignaro contra sit difficillimum, non est veritus ibi in suo iudicio quando succederet casus posse fefelli, & fidenter cum æquè peridis loquendo consulvit, eò magis quod quum in cap. proced. de febribus continentibus habuerit sermonem, in quibus testatur adesse semper plenitudinem & exuperantiam sanguinis, inquiring non incidere febres illas nisi in boni habitus corpora, mirum non esse debet, si ad reliqua deinde se extendendo in eisdem corporibus

bus sic præsidium illud laudavit, supposita nempe plenitudine, qualem supponere se in methodo, & de febribus præ plenitudine ortis intellexisse testatur in lib. de curand. rat. per sang. miss. cap. 5. & magis in 9. methodi cap. 5. ubi de plenitudine amplius quoad vasa ipse loqui semper in methodo, & de ea intelligere, non de ea quæ est ad vires expressius confitetur, ut decentius idcirco fuerit sanguinis commendare missionem, quodque per subsequenta etiam verba ibidem declarat. *Levata, namque quæ corpus nostrum regit natura, exonerataque eo quo veluti sarcina premitur &c.* Quod præmens non aliud quàm multitudinem esse affirmat in synopsis de puls. cap. ult. præter quàm quod si bene notentur sua verba non præcipit Gal. sanguinis missionem tanquam necessariam omninò debere fieri, sed commendat tantummodo si decenter. s. fiat præsentem virium robore, ætate, requisitisque aliis, ut declaraverat, & ut postea subiunxit, *Præsertim si nec ætas vires prohibent.* Ut sit aliqua differentia inde præcipere hoc fieri debere, & commendare si fiat.

---

## C A P U T VIII.

**Q**UORUM quidem suppositæ plenitudinis hominum, in quibus licet arguere verè adesse virium robur, quod veluti requisitum quoddam subnectitur à Gal. præsidium illud commendat, per pauci reperiuntur non nisi in ætate juvenili & adolescentiæ, & adhuc in ea ætate sunt

pauciores, quos volentes interdum nos proprio epitheto in eorum jactantiam significare & describere, italia lingua appellare solemus. *Giovani forzati valorosi gagliardi*, sicut propriè sonant Gal. & Hippoc. verba. *Utrum robur, & ætas florens.* Quasi dicere velint non sufficere pro ritè administrando præsidio ordinarias tantùm adesse vires, quibus solùm præsentibus, & absque illis quod pejus, indifferentur quemlibet statim phlebotomando Practicantes decipiuntur, sed extraordinariis esse opus dum ad *ly virium* non solum *robur* quoque adjunxerunt, quæ plena vox est excessum & vehementiam quandam significans ex Gal. 4. de rat. vict. com. 25. & ex Avicen. in prima fen. lib. 4. similibus verbis idem significantibus *si virtus fuerit fortis* (ut ipse loquitur) sed florentem quoque addiderunt ætatem, ut absolutam. s. virium firmitudinem adesse oportere & requiri significarent, qualis in alia ætate relucere non potest, nisi in ea quam diximus juvenili. Non n. passa fuisset sermonis gravitas tantorum virorum frustra illud adjicere de ætate si ordinarias tantùm adesse vires sufficere credidissent: satis namque fuisset dicere *ubi adessent vires*, sed *ætatem & robur* placuit adjungere, ut vires denotarent debere esse, ut dictum est firmas & abundantes. Et propterea non esse sic tutum est dicere perpetumque quod ferunt ex *Celso de firmo puero, & robusto sene* hoc remedio ipsos tutò curari (pace dicatur viri hujus excelsi) etenim in nullo sene reperiri tale virium robur concedit Gal. in lib. de cur. rat. per sang. mis. cap. 9. Quòd etiam si ex millibus unum in ea ætate esse contingat, qui optimam corporis constitutionem sortitus videatur sanguine redundare,



dare, viresque habere valentes, ita ut robusti senis nomen illi possit adscribi, quum tum de raò id sit contingentibus, quæ in considerationem non veniunt quumque nec absolutè intelligatur robustitas ea prout est illa ætate florentium, sed potius respectivè comparata ad aliorum senum communiam, quumque & amplius non sit firma remanens robustitas ea & diu perdurans, sed momento labatur, & plus quotidie deperdatur de ea quam acquiritur, confidere tantum non licet, & perpetuò hæsitare contingit an conferat, vel non conferat ad movere præsidium, ut videtur sentire Gal, in fin. cap. 13. proximè citati libri de curan. rat. inquit cum sene usse cautius semper agendum, dubitandum videlicet semper qualescunque vires appareant ejusmodi ætatis, ita ut perpetuò in eadem ætate sit timor habendus, contrà quàm volunt Practicantes ex Celso *non quæ sit ætas dicente interesse, sed quæ sint vires.* Quod tamen non perse primum esse volumus dictum, sed secundo virium ratione (ut vir ille subjunxit) quæ in ætate senili nullo modo possunt subsistere, ut non immeritò ob illud sit visum. Antiquis ætatis florentiam virium robori adjungere. Ad cujus insuper comprobationem demonstrans nunc audiatur exemplum. Agat ignis in paleam, stupam, vel aliam quamvis rem mollem & debilem, in quam non solùm calorem ut octo, sed totam suam formam inducat & flammam: agat secundo in ferrum, lapidem, aut quamvis aliam rem duram & spissam, in quam non calor ut octo, & ignis forma inducatur, sed calor tantum modò ut quatuor, consonum est asserere in primo casu ob majorem caloris gradum in subjectum inductum, majorem

quoque in subiecto debere esse quam in altero ignis agentiam, sed experimentum est clarum contra evenire, nam licet in subiectum casus prioris stupam vel paleam sit major gradus caliditatis indutus ipsa flamma, quia tamen subiectum est molle, infirmum, & cedens, infirmam quoque reddet flammam & debilem, poteritque manus per eam transire & retransire incolumiter etiam cum aliquantula mora: ferrum verò quia subiectum est firmum resistens, licet habeat minus caloris indutum, nec etiam digito datur approximare nedum attingere absque læsione. Ita & in ætate senili quum non sit firma remanens robustitas ea (ut est dictum) & resistens sed diffluat quotidie, & decrescens labatur, non poterit vis ejus sic agere post sanguinem missum, ut ad spatium curationis sufficiat, & propter eam linqui debere determinavit Gal. cum Celso, qui idem videtur innuere: in florentia verum ætatis, quum sit constans & diu resistens robustitas, resistere quoque poterunt vires, & æquè sufficere ad spatium prædictum. Quo circa stet firma positio Galeni. *Cum sene esse cautius semper agendum.* Non esse sic tutum ut sanguinis missione curetur: antè quàm: quàm. n. rectè æstimetur id quod ingenii perspicacitate & iudicio habet opus distingui an valeant, vel non valeant vires sufficere ad opus agendum, non est sic protinus exequendum, ut faciunt hi pertinaces fidenter & tutò sanguinem perpetuò mittendo, non animadvertentes quantus in eo ipso sit metus habendus (ut Celsus asseruit) Præter quàm quod ex his etiam paucis, qui juvenes hujuscemodi sic robustis viribus gaudent, statim atque suarum met virium incipiunt impetu duci, plerique bellando occum-


occumbunt sub armis: alii in criminum damnatione, vel suspenduntur, vel obtruncantur in campis: alii sunt in carceres trusi: alii ad triremes, adeò quod ex paucis supersunt paucissimi, qui ad manus medicorum perveniant, & casum faciant congruè admovendi præsidii. Pro cuius deliberatione est insuper advertendum, non esse nos semper in febribus magnis, & à magnitudine morbi urgeri & compelli ad sanguinem detrahendum, qui tertius cum ætate, & robore virium ponitur scopus ab Hippoc. 4. de rat. vict. sent. 19. & à Gal. in primo de humor. com. 12. & lib. de curan. rat. per san. miss. cap. 9. quibus junctim non concurrentibus idem met Gal. licet largus quandoque in injungendo præsidio, venam tamen secare vetat. Itaque generalitas ea verborum Galeni cadens & restricta ad pauca sic occurrentia subjecta non obstat tum ex prædictis, tum ex amplius dicendis (ut melius infra explicabitur.)

---

## C A P U T IX.

**A**Mplius ab iterata sanguinis missione, quam sic in febribus adhibent isti imperiti (saluta semper pace doctorum virorum) magis apparet eorum erratum, nam aut rectè indicatur prima sanguinis missio quam faciunt, aut non rectè indicatur: Si non rectè indicatur nequaquam est facienda: Si rectè indicatur, consequens est ex Gal. xj. meth. cap. 14. ut statim juvet, & sic febrem saltem diminuat, si prima missio diminuit, secunda

debet tollere in totum, in totum videlicet tracta copia sanguinis indicante. Hoc modo à sanguinis missione facta subito concisam febrem, ut par est quando indicatur, & consequens necessarium (ut dictum est ex Gal. non amplius certè quàm ter aut quater notavimus tempore nostro, & in femellis solummodò, quùm in viris minus eveniat ut à plenitudine sola febricitent testimonio Hippoc. in lib. de morb. mulieb. circa init.) Sed unde est quod pereunt ex eis quingenti & mille secundo & tertio phlebotomati? nisi quod prima sanguinis missio indicata non fuit, multoque minus secunda & tertia: unde ruunt miseri laborantes ad necem Practicantium istorum perfidia, & multò magis ipsorum met avaritia non curantium manibus doctorum virorum committi, qui sciant cognoscere genus & differentias, aliud quam in morbis quibuslibet confestim sanguinis missiones præcipere, & caput dolentibus lapidem bezohar exhibere & Hyacinthum. Quòd si non propter talia errat quæ figurantur interire illos tunc dicant, sed propter magnam febrium putredinem & cacœthiam, eò magis convincuntur peccasse, nam adversus febres ejusmodi non cum tot sanguinis missionibus erat certandum, sed cum alexipharmacis & medicamento, quinimodò cum solis antidotis, si extraordinaria sit putredo pestilentiaë particeps, & venenositatis, iisque cardiacis, quæ malignitatem frenent & ambigant sine vacationis necessitate, ut notat Fernelius.



## CAPUT X.

**A**Mplius, quàm ad quascunque febres curandas accedimus tertianæ quasi sint omnes ob dominatum bilis sic dictæ, quas practicando frequentiores habemus ad manus, & quasi semper in ore dicere, quod forsan innuere voluit Hippo. siue auctor libri de nat. human. in fine ibi *plurimæ febres ex bile gignuntur.* Arguitur sic. Aut qui putrescunt humores in febribus iis continentur in venis, aut extra venas sunt positi: è continentur in venis, vel est cum sanguinis redundantia, vel sine illa: si fuerit cum redundantia synochorum ex sapient naturam magis quàm suppositarum tertianarum, plus nimirum valente efficere copia massæ totius quàm possit peculiaris humor bilis vel pituita, unde non sumus in casu: si verò exuperantia non ad sit vacat indicatio mittendi sanguinem, ut vult Gal. in 4. de sanit. tuend. c. 4. multoque magis si humores sint extra venas, ubi sanguinis missio si fiat detrahitur humor utilis ac necessarius è venis derelicto noxio & impuro extra venas, qui de facili rapi intra venas tunc potest, & totum corpus coinquinare, ut postèa subdit Gal. in cap. 5. ejusdem lib. & fatetur quoque in lib. 2. de humor. cap. 15. *Quippe (ait) incisa vena bozum sanguinem emittit, malum verò, qui in primis maximè venis circa jecur, & quod mesenterium vocant colligitur in totum attrahit corpus.* Neque hoc solum potest evenire in conveniens, sed ex intermittente quæ sit tunc temporis febris in continuam fieri degeneratio,

ut sæpè nos vidimus contigisse, & æquè contingere indies, & se quoque testatur observasse Fernel. in lib. 3. sui meth. cap. 8. his verbis. *Ut autem in bis ita etiam in intermittentibus febribus etiam atque etiam observandum ne confusis, vel commotis humoribus corpus evadat impurius, nam febres tertiana quarum causa in jecoris cavo inhaescebat sæpè intempestivè secta vena in continuas abiere, & continuæ, in quibus admodum impura erant viscera, non parum exasperata sunt: Exhausto. n. sanguine impurus humor quavis sede sit derelictus efferatur ferociusque sævit.* Qua etiam motus ratione Avic. in 4. fen. lib. 1. benè cautos & continentes debere esse nos monet in eo imperando præsidio, ne ad unum duorum ægrum ducamus aut humorum cholericorum ebullitionem, aut frigidorum cruditatum, quorum utrosque si tertianæ sunt spurix constat peccare in febribus iis: biliosorum respectu, qui dempto sanguine fieri, solent magis effrenes, frigidorum verò admixtorum, qui causam exinde adipiscuntur magis recrudescendi. Unde pro generali themate habere, & usitare phlebotomare semper in febribus adeò tutum non est tum propter prædicta, tum quia ut ab eodem met habemus Gal. in 2. de humor. com. 26. non semper nobis scopi suppeditant, ut sanguinem trahere tutò possimus.

## C A P U T X I.

**A**Mplius, quàm apertissimis verbis nam Cal. habeatur in 4. de san. tuend. cap. 4. quod in affectibus præter naturam ubi vacuatio requiritur, si vitiosi

vitiosi humores sunt mixti cum copia sanguinis tunc est sanguinis mittendus, quando autem cum ea copia non conjunguntur, nequaquam mittere licet, sed exhibere medicamentum. Arguitur sic In propositis dictis febribus rarò reperitur hæc mixtio, ergo de rarò mittendus est sanguis. Probatur minor primo ex communi notione nominis & verborum quibus uti solemus ad significandas humorum existentias & complicantias, nam sicut quando miscelam adesse significare volumus in alii affectibus, tumoribus v.g. præter naturam, si miscetur pituita vel bilis cum sanguine, aut sanguis cum illis, ut uterque humor significetur, utrumque humorem denominamus substantivum verbum adjectivando, & dicimus œdema phlegmonosum, erisipelas phlegmonosum, & è converso ad prævalentiam sanguinis dicimus phlegmone œdematosum, phlegmone erisipelatosum: Ita in propositis febribus, si adesset talis miscela humorum cum sanguine, diceremus putrescere in his sanguinè pituitosum, biliosum &c. Sed non dicimus putrescere nisi simpliciter bilem aut pituitam ergo ea mixtio non adest. Probatur secundo ex eventu earum curationis, & propriis exeuntibus excrementis, quæ de signis sunt internas affectiones, & humorum dominium significantibus, nam ad medicamentorum exhibitiones earum causa factas, ubi evicta febris materia, & in statu jam cocta ex alvo dejicitur, non sanguinolenta observantur excerni, sed biliosa, ichorosa, nigra, subflava sine sanguinis mixtione, ergo. Quòd si exilire etiam sanguis in crisibus febrium sanguinearum & continentium utiliter observetur interdum per nares, uterum, hemorhoides, vel aliam partem de se natura moliente illos fluxus, non

non sumus in casu febrium propositarum sed earum quæ de rarò contingunt synochorum, in quibus, sanguinem mitti debere concessimus, & ubicunque ea mixtio, & indicantes sui scopi non defunt, adversus Empiricos istis, qui in qualibet febre mittendum esse contendunt, prout in factò jam mittunt in grave detrimentum naturæ, & virium ejus, quarum tonum in primis servandum esse centies monuit Galen. & signanter in dicto cap. x. primi libri ad Glauconem ubi propositarum febrium tradens curationem omni studio cavendum esse præcepit. *Ne vires labantur quæ longiori tempore debent elaborare.* Quibus quidem libris editis curativæ ad Glauconem major est fides adhibenda quàm cæteris, quùm practicè magis ibi loquatur Gal. & ex professo cum erudito Philosopho magnæ intelligentiæ & auctoritatis, apud quem non ita oportebat dialectico more, ut in methodo differerat, disputationes absolvere, sed æquum erat, ut graviore sermone cum saniore voto judicii quæ querebantur curationes docere firmis tum roboratas rationibus tum certis observationum factis experimentis, quæ fecisse ostendetur factum eum seniore, ut non fecerat forsitan antè operibus artis non adhuc confirmatus, sicut benè advertit Fernel. in consil. suorum 46. ubi controversam rem hanc pulchrè admodum videtur definivisse.

---

## CAPUT XII.

**S**olent nonnulli & tertio respondere convicti conducere sanguinem mitti ad ventilandum saltem calorem refrigerandumque hepatis & febrilem.



lem. Diverticulum est gratis inventum, nam nusquam quod sciamus ad hanc intentionem eventandi calorem in propositis febribus, nisi in ardentissimis & continentibus eo remedio est usus Gal. sed magis ad evacuationis respectum, vel ut revelleret ubicunque de eo est loquutus, plus nimirum de vacuando humore febrem faciente sollicitus, quam sit de calore anxius, ut ex lib. Quos & quan. purg. oport. colligere licet. Convincuntur etiam ulterius, nam si ad refrigerandum dum taxat calorem dimissa advertendorum quæ diximus consideratione fas esset, esset expediens sanguinem mittere, utique sequeretur exinde, quod quoque tempore plus æstus vigeret, esset calor magis infestans, eò tunc decentius venam fecare liceret, pro ventilando nimirum calore premente ardente syrio sub Cane, quod quum hisce in temporibus, & in calida insuper regione fieri posse à Galeno abnegetur, vana est ipsorum assertio, sunt meræ nugæ quæ blatterant ad subterfugiendum allate.

---

### C A P U T XIII.

**A**Liqui & quarto magnum quid respondere patientes dicunt. *Che può nocere levare ad uno tre ò quattro oncie di sangue à tante libbre che n'hane?* & volunt inferre non esse propterea usum ipsorum redarguendum, qui quum modicum eam mensuram extrahere non excedant, disparem esse (inquiunt) rationem cum usu Antiquorum, qui ad heminas erant soliti extrahere & libras, ut etiam extra-

extraxisse Galenum producunt in historia tùm mulieres in 6. epidem. sect. 3. com. 29. tùm cœconomi divitis illius in Romæ suburbiis , tùm alibi in aliis.

In hac ipsorum assertione plura & priora delinquent. Primo , dum de modica ea mensura ipsi dicunt solummodò. *Che può nocere.* Ex horum verborum positione non propterea consequitur, quòd eo modo habeat juvare : unde etiam si detur, quòd cum eo modicitate ipsi non noceant : quia tamen & neque in positione fit mentio de juvamento , & juvamentum neque dum sequitur , quod necessario resultare jam debet de ratione, & natura præsidii, cujus ea est proprietas atque denominatio, ut juvet, ac juvet etiam magnoperè , sicut magni quoque nomen meruit ipsum habere, ad huc eorum responsio est inanis , & vacua sine conclusione. Convincuntur amplius Theologorum exemplo & decreto , veluti habetur canone illorum. *Non sufficit abstinere à malo , sed necesse est facere bonum.*

Secundo quùm duo ponat Gal. in lib. de venæ sect. advers. Erasistra. cap. 6. quæ in sanguinis missione imperanda veniunt esse advertenda , prout in ipsis duobus est possibilitas magis errandi mensuram. s. vene sectionis rationem se candarum venarum : iterum dato & concessio quòd in mensura venæ sectionis per eam modicitatem ipsi non errent, an non aliud restat in quo possunt delinquere, ratio videlicet venæ secandæ , scoporum , intentionum , occasionis, utendi modi, ac reliquorum ? Omnia nos sumus supra criminati & complexi : quinimmodò & nec in ipsa etiam ratione mensuræ abusum salvare possunt , nam licet tres uncias , & qua-

quatuor non plus sanguinis extrahant pro vice, quia tamen duplicatè & triplicatè id facere solent, eo modo Antiquorum mensuram adæquant & cum eadem met ab ipsis allata ratione disperitatis inter usum & usum, Antiquorum immodicitatis, se ipsos involuunt, & magis redarguunt. Unde videant miseri in quot absurda labantur, in quot implicantiis dum pertinaciter detestantum abusum tueri eo modo nituntur.

Tertio posito quòd Antiqui in ratione secundarum venarum erraverint, velut errasse, & jam reprehensos fuisse à Galen. infra monstrabitur locus, consonum est asserere, quòd quantò plus miserunt de sanguine, tantò magis ii erraverunt, & majus commiserunt peccatum: extrahendo ipsi minus, minus errare dicentur, & peccatum committere minus, non autem possunt dici facere bonum, quod facere debent, quia est genus diversum in sua regula illimitata, & generali positione non comprehensum. Unde quum semper errare dicantur nullius momenti est ipsorum assertio, & veniunt semper redarguendi. Quòd si cum eadem ratione majoris & minoris virium perditionis inter alterum usum, & alterum replicando rursus se obvolvunt, ut abusum defendant, in antedictas reincident difficultates, & ubique reperiunt angustias, tum quæ decentiæ, & intemeritati sanguinis missionis non correspondent, tum quæ virium integritati non consonant, quæ à larga missione deperduntur majores, à minore minores.

Quarto si modicitatem eam intelligere voluit, quod sanguinis mittendi faciat decentiam, Antiquorum immodicitatem consequenter redarguunt, unius enim inclusio est alterius exclusio:

Si

Si deliquisse igitur volunt Antiquos, etiam Galen. redarguunt immodicitate usum, qui aut scivit modicitatis ejus respectum debere servari, aut ignoravit: Si scivit cur tot ambages, necessarias conditiones, proposita, & limitantias effinxit, & non eo solo uno verbore breviter sicut illi restrinxit? Quinimmò cur secus immodicitate indecenter est usus? & si indecenter usum fuisse negant, ut negare debent de tanto Viro: ergo malè ipsi distinguunt de usu hodierno & usu Antiquorum. Si verò ignorasse dicunt aut omisisse, Galeno ipso plus sapiunt, qui immodicitatis ejus nescivit respectum habere, ignorasse autem aut præterisse quomodo possunt asserere, dum ex professo de ratione servandæ mensuræ meminit in lib. de curan. rat. per san. mis. ubi in cap. 4. modicitatem, & immodicitatem intelligendo ad libras, ad libram, & ad minus extraxissè fateatur, & expressius in II. meth. cap. 14. ubi modicè, & immodicè secundum affectuum indigentiam & indicantiam scoporum sanguinem mittere opus esse determinavit. Et nos quoque in anginoso quodam qui præfocabatur sesquilibram extraximus una vice, & servatus est. Quid ergo ex hoc sequitur? Quid relevat quantitatis id, & disparitatis assignare discrimen inter usum, & usum, quando affectus sunt quidam, si esse posse debent concedere, quòd talem vel aliam vacuationem non postulant?



## CAPUT XIV.

**D**icent tandem & §. expedire sanguinem mitte-  
re in febribus, quia ex ea missione exoneratur  
natura eo quo veluti sarcina præmitur, & potentior  
efficitur ad reliqua concoquendum, & expellen-  
dum, ut patet ex eisdem verbis Gal. eo loco me-  
thodi xj. Hoc est præcipuum fundamentum ipso-  
rum, & veluti cardo, quo sustinetur eorum pro-  
positum: & certè tanta est difficultas in hoc dissi-  
dii plena & condentionis ad prænosendum quan-  
do verè sit eventurum in factò, quòd ex sanguinis  
missione exoneretur natura, fiatque potentior ad  
reliqua facienda, ut dato hoc consequente &  
concesso, decisus pro ipsis sit punctus, nec secus  
sit quidquam, quod responderi rationabiliter  
valeat. Hoc solum poterat à tractatus editione  
nos deterrere, & suadere ut silentio præteriremus,  
quoniam quùm sit conjecturale non nisi summa  
perspicacia iudicii, veterique experimento possi-  
bile ad prænosendum, poteramus cum mille velle  
potius errare, quàm cum uno rectè sapere soli,  
maximè quod ita apud gentes est receptus abusus &  
confirmatus, ut desperatum prorsus sit opus, ne-  
dum posse opinionis ejus opinionem & fidem ab  
eorum animis remove, sed vix quoque posse  
vitare quin videntes nullam vel paucissimam esse  
futuram commendationem, & sequelam ad hos  
nostros sermones, cum sapiente in Ecclesiast.  
subsannantes adversus nos dicant. *Quis est hic?*  
*quis est hic?* Attamen si vera fateri licet, quùm  
c non

non ad incapaces & rudes, sive immodestos, quos ab horum lectione volumus omninò esse abigendos, sed ad modestos viros ii diriguntur expertos & eruditos, de horum sufficientia modestiaque confisi vires experiri volumus an tantum valeant proficere, ut everso hoc fundamento difficultatis solutio, & puncti veritas elucescat, & si minus laudare volunt ingenium, reprobare saltem non velint. Itaque dicimus respondendo. Ut in bona congruentia sermonis dici possit aliquid exonerari suo pondere aut sarcina, & sic naturam ( ut est in Galeni positione ) exgravari & fieri in viribus suis potentior, oportere ut realiter adsit quod faciat onus & gravet, aliàs quando nihil est, quod faciat gravamen, locutio est falsa & impropria, & non valet facere positionem: in qua aggravatione nequeunte aggravato, sive sit natura, sive aliud quodvis exercere vim suam depressam, possunt quodammodo dici vires ejus amissæ, quo casu sublato eo quod gravabat, & recuperant amittente quod erat amissum, amittens id sine dubio exoneratur, & potentior fit, non absolutè, sed respectivè plus quam erat antè sub ea aggravatione. Pro cujus clariori intelligentia est insuper præsciendum bifariam posse nostri corporis vim, & facultates gubernatrices alterari, & offendi, ut est in Galen. synopos. de pulsib. cap. ult. Vel enim ipsius meditatione infirmatur facultas, ut per se vires deperdat, vel quum à multitudine opprimitur, & gravatur, ut vires exercere non valeat. Primo modo, quia non adest alter respectus nisi indicatio virium reparandarum, quæ languent, & quæ à sanguinis missione si fiat eò magis debilitantur, non potest venæ sectio tunc convenire: at in contingentia  
secun-

secundi modi, quia adest respectus ille oppressio-  
nis, & æquè indicatio multitudinem quæ aggravat  
removendi, & nihil est quod æquè ac sanguinis  
missio sufficienter, & citò id possit præstare, jure  
optimo venæ sectionem adhibere tunc est conve-  
niens. Neque hoc etiam casu perpetua esse debet  
ea propositio, nam valet antè quàm vires sub ea ag-  
gravatione etiam per se notabiliter sint minutæ: ad  
cujus præcautionem, non propter aliud perpetuò  
monat. Gal. in febribus quando facienda est san-  
guinis missio, ut statim fiat, & ab initio, ne scili-  
cet currente temporis intervallo etiam per se vires  
lædantur, in cujus eventu alibi consulverat se-  
cundo de rat. vict. com. x. inquit. *Melius est  
virtutem non exolvere quàm sanguinem vacuare  
redundantem.* Ad cujus imitationem ejusdem  
læisionis timore subjunxit postèa Avicen. in prima  
fen. lib. 4. dicens. *Quùm postponitur phlebotomia  
à principio, non est amplius intentio ad illam.*  
Modò in propositis febribus, quùm rarò sit dare  
casum ejus virium oppressiois, pro ut est in se-  
cundo modo quem diximus ob deficientiam pleni-  
tudinis nempè, à qua non sæpè febres produci, &  
quàm rarò concurrere in iis, ac simul adjungi est  
supra probatum, sequitur inde, ut non modo  
non exoneretur natura à sanguinis missione, neque  
tunc fiat potentior eo modo & figurato respectu,  
sed quùm ferè semper absolute aliquales vires de-  
perdat juxta sanguinis copiam detractam, & ge-  
minetur amplius perditio illa cum jactura quæ fit  
ex putredine & febre, propter duplicatam eam  
virium jacturam, eò minus sanguinis missio sit  
facienda, sic Gal. primo ad Glau. cap. 14. ubi  
dans rationem cur aluo fluente non liceat sangui-

nem mittere, causam assignat duplicatæ ejus virium jacturæ, tum quæ ex alio fluente, tum quæ à sanguinis missione consequitur, quam tolerare natura non valet: pro qua rectè imperanda missione toties palinodiam cecinere Hippo. Gal. & Auc. requiri virium robur (*virtutem fortem* nominat Avic.) virium constantiam, virium integritatem, *che non cene manchi una dramma* (ut ita loquamur, & sonant verba prædicta.) Quod si Galen. citato loco xj. metho. etiam putridas febres in sua quam fecit positione complexus geminatam eam virium offensionem non timuit commendans ibi præsidium, jam est responsum ut supra quod loquens eo loco de febribus ortis præ plenitudine in ea raritate contingentia quæ esse potest, & in secundo modo quem diximus virium oppressionis, ac in corporibus bonorum habituum, de quarum constantia non diffidebat viriumque tono, quia militat tunc casus positionis prædictæ exgravationis naturæ & consequens effectus suppositi, facta comparatione virium, quæ multæ ex de gravatione recuperantur, cum iis quæ à sanguine missio & febre in principio imbecilla non tantæ diminuuntur, majus librans esse juvamen quam nocumentum, quod exinde interdum consequi solet, fidenter præsidium laudavit: erat tamen Gal. qui cum sua divinitate ingenii quando occurrebat eam facere librationem, & in plenitudine cognoscenda falli non poterat, & ut facillimum sibi erat negotium, ita putabat in cæteris. Nobis autem, qui nihil sumus ad illum, adeò arduum est illud metiri posse, & præstinguere semper utrum à sanguinis missione utilitas major an noxa sit successura (quod circumspecti est Medici



dici semper advertere, non modò in sanguinis missione imperanda, sed in quolibet etiam levi admovendo præsidio) ut in ea dubietate occurrente tutiorem viam debeamus eligere, ut si quid prodesse non possumus, saltem non noceamus, in quo dubietatis discrimine aliàs consulverat idem Gal. non semper etiam quod ad sint omnia signa indicantia, esse opus sanguinis missione, prout dictum est supra ex quarto de rat. victus comm. 19. Cujus sententiæ subscribens se Avic. in dict. fen. prima lib. 4. in propositarum met putridarum febrium curatione decisè magis est sic loquutus. *Et consilium quidem meum in phlebotomia est ut dimittatur quantum possibile est.* Atque eò magis est dimittenda, quod etiam si sit sanguis in aliquo febricitante, vel aliud quid patiente redundans quod præcipuum debet esse phlebotomare suadens, ad huc non semper per signa conspicua id cognoscere datur: sæpè. n. nullæ illius in facie, vultu, colore, pulsibus, urinis, aut alia quavis re indicante manifestæ notæ exhibentur, quibus non apparentibus, licet multitudo non desit, est tamen illam supponere factum gratis & temerè, & magis temerè eò tunc est venæ sectionem præcipere. Mulierem nam quamdam novimus consistentis ætatis, quæ statis temporibus singulis quinto aut sexto mense acerbo hypocondriorum dolore, ventrisque torminibus, sine tamen febre, aut menstruorum defectu adnotatis ita solebat affligi, ut irrequiescens tota quasi convelleretur, & jure censerì posset flatuum copiam in intestinis & ventre retentam esse in causa, quæ colicos illos cruciatus induceret, qui neque anodynorum fotu, neque enematum injectione remittebantur, à

fanguinis tamen adhibita missione à brachio aut pede, prout exigebat occasio quoties malum irrueret, confestim inter ipsum sanguinis fluxum dolores evanescebant, & tamen infœcunda quùm esset crassiuscula, nullam ex vultu subpallido, aut pulsibus quos ordinarios habebat, neque aliunde notam præbebat sanguinis redundantis. Quin etiam alteram modò habemus in praxi ejusdem ætatis, quæ sive febricititer, sive aliam quamlibet patiatur affectionem habitus tamen gracilioris viribus imbecillis, in tantam pulsum parvitatem, & ventriculi languorem incurrit, ut oblatorum interius nihil ferat admittere, sanguinis tamen emissionem quasi semper cum facili tolerantia virtutis, & morbi levamine ferat. Non sit propterea arguendi hic contradictoribus locus ut inferant ideò sanguinis missi commoditates esse perpetuas, ut ponunt in febricitantibus quibuscunque, nam præter quàm quod concessum est jam superius id in femellis quandoque verificari. Nos historias referimus, ut probemus nequaquam semper manifestari se signa sanguinis affluentia; ut sic facile debeat multitudo supponi ut supponunt in febricitantibus quibuscunque, & idcirco in discrimine ut plurimum rem positam esse, & ubi exuperantia miscelæq; sanguinis non sic manifestæ notæ se promunt, semper est dubitandum in sanguinis missione imperanda, imperanda non prius quàm particulari observatione sit visum, ut in casibus dictis, quæ thema universale non ponit, & experimento benè sit cautum quibus suppositorum talei ratibus, & quibus febricitantium naturis factò prius cunctorum integro examine sit collatura sanguinis missio facta, vel non collatura.

## CAPUT XV.

**S**ed intermissis postremò theorematibus rationibusque Gal. & Avic. si & nobis pariter licet auctoritatibus & observationibus clarissimorum virorum contrapugnare. Dicant nobis isti imperiti, quid causæ fuit Erasistrato tanti nominis medico ante Galenum, ut sanguinis missione nunquam sit usus, ne dum in febribus, sed nec in cæteris etiam morbis, auxiliumque id omnino despexerit? Summo is fuit ingenio, non existimatione & gloria minore qua fuit Galenus. Non defuerunt illi præterea Hippocratici libri, non opera celebrium ante se medicorum, unde leges & præcepta mittendi sanguinem desumere posset, & rectè deliberare de auxilio. Unde est ergo quod prorsus dimisit? Non alia probabilior ratio potest afferri quàm quæ traditur à Galeno in lib. de venæ sect. advers. Erasistra. cap. i. Nempe quùm animadvertisset clarissimus ille vir magni interesse, arduumque esse negotium usum præsidii jam dicti exercere decenter, & sic posteros edocere propter multiplices difficultates quas habet, & implicantias, tum in laborantium dignoscendis naturis, quibus conferat sanguinis missio, quibus non item, tum in debita illius definienda mensura, congruo tempore quo debet fieri, & proportionata vena quæ debet secari eligenda, fuit in causa ut omnino dimitteret, nimium tamen Hæmophobus, quatenus illud in totum ab arte rejecit, noluitque in exigentibus casibus morbisque usurpare & consulere, in quibus esse evidenter

non utile solùm , sed necessariissimum bene experimur : quopropter jure quopiam à quopiam potuit , debuitque damnari , ut est à Galeno damnatus. Non tamen ob illud quod illud omittendo præsidium vir ille ab illo sit repræhensus , illius illicò auctoritas est parvipendenda , ut ex hoc arguanthi cervicosi non obstare , imò pro ipsis facere auctoritatem adductam dum est à Galeno damnatus : Etenim timens Vir ille summus propter præsidii difficultates jam dictas ne in ministerii præcepto , quod utilitatis causa Posteris erat tradendum , ne aliquo modo ægrotis noceret , maluit in omissionis quàm in commissionis , si quod crimen esset in currere , & timidæ taciturnitatis non juvantis errore posse accusari , quàm audacis loquelæ offendenti. *More magnorum virorum* ( ait Cælius ) *fiduciam aliarum magnarum rerum habentium , nam lenia ingenia quia nihil habent nihil sibi detrahi cupiunt.* At magno viro illi cujus eruditionem in plerisque artis monumentis est admiratus & æmulatus Galen. qui satis ille callebat quod à se dimissum deficeret alio modo supplere , ac vice præsidii illius aliis vacuatoriis , auxiliis , quæ idem quod venæ sectio efficere possunt , commodè uti , visum est non indigna ratione Posteris in præsidii consideratione implexibusque non intricare , ne qui scilicet deciperentur eadem ratione , qua ipse met antè decipi potuerit , aut sit fortasse deceptus. Ex quo rationabilius est argumentum desumere & dicere. Si magnus vir ille ingenio doctrinaque insignis ad competentem præsidii usum docendum adeò difficile habuit deliberationem facere , ut diffidens usurpare & docere dimiserit ; quomodo audent

hi pertinaces, qui nullam habent eruditionis proportionem cum illo toto cœlo inferiores, improporcionati, dissimiles sic tutò cunctis ferè languentibus, etiam si quis manè non crepitaverit confestim sanguinis missiones præcipere, iterare & reiterare, & quam nequivit Cyclops Gigas vim facere, pulices ipsi qui sumus illius comparatione, tam facilè facere posse arbitrare.

---

## C A P U T XVI.

**S**ed quid cum Erasistrato commoramur? Cui nam ægroto in recensitis à Galeno febricitantium historiis in Epidemio sanguinem fuisse detractum legitur in Hippocrate, nisi uni Anaxioni ob adjunctam pleuritidem? Sat scimus quid ad hoc placuit gratis divinare Galeno ut subterfugeret, qui de sanguinis missione diffusius loquutus, si præsidium illud videtur audactius quàm hi admisisse, hoc etiam fecisse credendum est studio potius contentionis & differendo, ut monstraret ingenium ad speculationem tunc magis intentum quàm esset ad praxim, necnon captandæ gloriæ desiderio contra Erasistratum, & Erasistratæos tunc Romæ degentes quando præsidium illud in methodo sic commendavit, non quòd revera tam saluberrimum in febricitantium communitate fuisset expertus ipse corporum subjectorum, quorum pauca est invenire prorsus disposita (ut disservimus) ad illud auxilium recipiendum & si pro generalitate juris & normæ, quam tradere eo loco

intendebat ad convincendam pertinaciam eorum Erasistratorum, qui penitus illud damnabant, assentiri ipsis fas sit in talibus nempe suppositis, & specialitate corporum subjectorum quæ contingere possunt, & ipse præintelligebat ubi adesset plenitudo, virium robur, & florens ætas cum aliis requisitis, quæ satis valent ad restringendam generalitatem illam, & sunt veluti conditiones appositæ, ut ex eo ipso constat dicente primo ad Glauconam cap. x. *Quod si sanguinem mittere oportet.* Ecce quomodo non solum generale consilium non tradit perpetuò mittendi sanguinem in febribus iis, sed cum ea conditione *Si* apposita specialem denotare vult casum & rarum, in quo præsidium illud usurpare conveniat. Neque hoc etiam affirmativis omninò verbis ubi adesset casus tam fidenter (ut isti faciunt) faciendum & ipse præcepit, sed per negationem appositam privativo verbo quasi remissè consuluit. *Neque* (inquit) *hoc quoque omittendum.* Tùm aliàs allatam rememorando distinctionem, tùm limitando quùm subdit. *Sed adhibita earum rerum quas scis distinctione tantum mittendum quantum* &c. Eo ipso modo & ratione servata: non plus nec minus, qua nos ad Galeni imitationem debere fieri affirmamus: non. n. sanguinis missionem damnamus tanquam perpetuò sit in febribus abolenda, etenim quùm sanguinis redundantia plenitudinisque notæ certæ se exhibent, & argumentatæ plegmonis symptomatica dicta (ut dictum est jam superius) neque ullum repugnat prohibens, non solum perutilem ac saluberrimam eam esse fatemur, sed quàm maximè necessariam, ut consequentia plenitudinis tollantur pericula, quæ in primo de humo.

mo. & in lib. de ven. sect. advers. Erasist. recensentur pleuritidis, anginae. Peripneumoniae &c. Non nisi quorum respectu strictè tum ibi, tum alibi praesidium id Galen. commendat, & tam est contra Erasistratum & Erasistrataeos diffusus. Eorum tantummodò detestamur usum & morem, qui nulla facta rerum distinctione, quam jubet Gal. in lib. de curand. rat. per sang. miss. sic temerè & inconsideratè sanguinem mittunt, missionesque reiterant sive nesciant, sive nolint advertere quàm cautè in ejus deliberatione sit procedendum & quòd ea omnia intueri, ac prospicere oportet, quæ citato loco primo de humor. continentur his verbis in com. 5. *Tum vel maximè in eo remedio, quod admodum prestans insigneque est quod venæ sectione perficitur, integrè sententiam hanc servabis, ut nihil temerè in consideratèque facias, sed prius perspicias ea proposita de quibus nos sæpè disseruimus. Quæ proposita volens adhuc enarrare paulò post subdit. Prius, n. quam venam seces prestiterit hac omnia intueri magnitudinem morbi, simulque robur virium agrotantis, itemque & ætatem, & naturalem ejus quem curas temperaturam, ad hac verò annitempus, locum &c. Et rursus in com. 12. Quocirca si iniri de secanda vena consilium velis, in hac proposita potissimum intuebere quanta inquam sit plenitudo, & qualis, tum perspicias naturalem corporis facultatem, deinde ipsius corporis totius habitum, tum anni tempus, regionem, & antecedentem vitam, & utrum aliqua solita excretio sit præter consuetudinem cohibita; denique utrum homo gracilior vel crassior evaserit. Eadem recenset proposita, & alia in lib. de curan. rat. per sang. miss. cap. 6. Nunquid hæc omnia advertunt cervicosi*

vicosi

vicosi isti quando tot sanguinis missiones præcipiunt, an nihil? *Saluberrimum est* (respondent) *in febris venam incidere omnibus protulit Galenus, non ci vonno tanti argomenti.* Hæc est ipsis respondendi anchora sacra, hoc solum habent refugium. Heu quanta, quotque miseros fuit & est occasio trucidandi mortales sinistrè hic locus animadversus, malèque eorum inscitiae accommodatus? Quanta ex eo hoc loco fit commoditas imperitis, ut citò à languentium querelis se expediant cum hoc facillimo quod in quovis languore proponunt remedio, si remedium dici meretur quod in perniciem desinit certam si malè usurpatur? Quàm induratum est cor Pharaonum istorum? Quàm indelebile est vitium hujus usus inveterati? Alterum oporteret habere Aesculapium dissuadentem. Placet quocirca hoc loco pro exostulantia ad locum differere quid de loco, & cum auctori loci locari paulisper. *Vadano mille pulici è cimici questa volta à Galeno*, qui volens modò vir summus gaudere brevitate sermonis, quam centies alibi admodum cautè, conditionatè, non nisi limitatè atque distinctè sanguinis missionem est adhortatus tam animosis, tam promptis hic consulit verbis, minimè curans allatas aliàs ab ipso adiungere, & rememorare distinctiones & limitantias, quæ ad reprimendam practantium istorum libidinem satis sufficere potuissent, planumq; facere ipsis è quibus notis, quibusve argumentis essent de secanda, vel non secanda vena sanum capessuri consilium. Quam tamen advertens idem Vir summus jactam ibi libertatem verborum, & aliquantisper se lapsum in commendatione præsidii quemadmodum labi quemvis alium docentem, si laboret ad

per-



persuadendum, plerumque compellit pertinax contradicentium asinina perfidia, & sicut aliàs etiam lapsus eundem est notare Galenum, tum in lib. I. differ. febr. cap. 7. ubi intendens eos arguere, qui febres ephemerarum impossibilis esse dignotionis putabant, ut eò magis foelicitatem ingenii sui ostentaret, contrarium suadens facilis esse dignotionis asseruit: tum quoque in lib. I. art. curat. ad Glau. ubi eos demirans qui de earundem febrium ephemerarum dignotione tanquam facilis esset negotii exactius tractare prætermiserunt, ut majorem inde ipse laudem consequeretur, qui earundem tractationem aggrediebatur, secus esse suadendo difficilem eam esse dignotionem est falsus minimè curans se sibi non constitisse, & posse imputari esse sibi contrarium: adeò quòd quum sit ita modus docendi & persuadendi vulgaris exaggeratione nempe verborum hyperbolicè interdum justos terminos transgredi, non est propterea perpetuò sic interpretanda positio quævis simpliciter & absolutè, quasi sempiternæ ita sit veritatis, ut aliter esse non possit, sed cum decentibus est limitationibus distinguenda & exponenda, prout his vel illis est rationibus nexa. Timens his non obstantibus eximius vir idem eodem met loco xj. metho. ne ex generali sic positione sua jam facta rudibus fortè delinquendi daretur occasio, consilii, & dictorum suorum vel ut habenas trahendo, statim (ut melius potuit) ea pauca subjunxit, *Ubi præsertim nec atas nec vires prohibent.* E quibus & aliis centum præceptionibus traditis, rationibus, experimentis, itemque ipsius met Galeni observationibus contra postmodum factis (ut retulit & infra monstrabitur locus) satis constare potest recte-

recteque concludi venæ sectionem in febribus esse ut plurimum dimittendam, si non ratione febrium in abstracto velint concedere prout meræ tales sunt febres, saltem ratione accidentium dictorum in concreto, sine quorum concomitatione rarò febres visuntur corporum subjectorum ætatis nostræ, quæ ob intemperantiam victus, & quòd legibus sanitatis tuendæ non adeò incumbunt, infirmiora & magis cacochyma reddita tot sanguinis missiones non ferunt, secus quàm potuit esse Galeni temporibus, in quibus quùm essent homines regulatiores, variisque exercitationibus addicti, cursationibus, palestris, balneis, unctiõnibus, loyachris, aliisque id genus, & corpora ob id salubriora efficerent, sive etiam quòd naturali aptitudine robustiora tunc temporis essent, eas melius poterant tolerare, sicut benè tolerasse extant historiæ quamplures Gal. in lib. de cur. rat. per san. miss. cap. 14. & 17. & aliis in locis, ubi ad tres, ad quatuor, & usque ad sex libras sanguinis se ipsum extraxisse fatetur, cujus quidem quantitatis neque etiam sextam incolumiter sufferre nunc possent tempora nostra.

---

## C A P U T X V I I .

**S**uperest tandem ut dictis nostris quasi colophonem jungendo observationum locum, quas habuisse Galenum innuimus modò afferamus in medium. In lib. de ven. sect. advers. Erasistratæos cap. 6. eadem, mer quæ nos modernorum Præctican-

eticantium videntes ab usum sumus dicere impulsus, videns, ipse & observans similem temporum suorum calamitatem fuit recensere coactus inuens. *Ceterum si adolescentes, qui neque de vena sectionis mensura, neque de secundarum venarum ratione quidquam audiverint ad presidium hoc se se accingunt, id statim (ut dictum antea est) ab ipso quoque initio maximum efferat nocumentum. Præstiterit igitur illos neque penitus vena sectionem aggredi quam citra respectum dictorum auxilio manus admoveere, plures enim hac ratione perierunt, quam quibus non fuerat vena secta: nam medici natu grandiores venas tunc temporis nunquam secantes aliis evacuatoris auxiliis utebantur, quæ idem quod vena sectio, verum longiore tempore efficere poterant, &c. Sed qui nostra tempestate febres cunctas in præcipio vena sectione indigere putant non medicori herclè noxa ægrotos afficiunt. Quæ quidem verba licet admodum sint per se clara, & à quovis quantumvis rudi benè intelligi possint, placet nihilominus ut dictorum nostrorum veritatem magis probemus, & æque dignam reddamus confutationem abusus, Singula apposita in textu verba repetere & ponderare, quæ quot sunt verba, tot sunt notanda mysteria irascentis quasi Galeni & invehenti in temerarium istorum abusus sic frequenter sanguinem detrahendi.*

(*Ceterum.* est prima capitis vox initium faciens sexti jam dicti, quam ponderando advertere quòd tametsi in eodem met præcedente cap. 5. ubi sermo habebatur de usu & non usu præsidii seriem continuare locutionis posset Galenus cum  
Eras-

Erasistrato, & caput non interrumpere, volens tamen ulterius alterius capitis novitate legentes reddere attentiores ad ea, quæ majoris futura fructus atque propositi docere intendebat, reminiscens antè dictorum, & quod paulo largius quàm fortasse decebat usum sanguinis missionis ipse alibi commendasset, à quâ tamen imminere pericula multa, occasiones errandi & damnificandi pluries erat confessus, rursus & pericula illa, occasiones errorum & nocumenta evitanda majori cum claritate verborum, quasi scholium vellet superaddere positionibus suis, novum caput initiat cum ea dictione *ceterum*, quæ restrictiva est vox suspendens antè factas positiones ob alterum quid superaddendum, quod ad votum loquentis expediat melius determinare, sive sit distinctivum, limitativum, vel correctivum, aut quomodocunque à priore diversum, sicut est quando post effusa à nobis verba liberius indistinctè prolata, & non omnino arridentia, si lateat quid insuper advertendum, nos volentes illud innuere & limitare solemus dicere *ma' ci è lo ma*. Quemadmodum volens innuere modò Galenus & reformare, prosequitur dicens.

*Si adolescentes.* Utitur hac voce Galenus adolescentum medentes redarguens de temerario ipsorum abusu venæ sectionis, quos sic vocat & reprehendit, non ob id propriè quòd in ea constituentur ætate annorum respectu, quasi sola ætas illa, si in adhibendo præsidio peccetur, debeat tantùm redargui. Quid. n. referunt anni sit senex vel adolescens, adolescens vel puer si medicinalia quævis servanda præcepta, ne delinquatur in iis, eodem

eodem modo medentes omnes tam senes quam juvenes scire debent indifferenter? Sed per limitationem eam ætatis adscriptam alterum duorum, vel etiam utrumque est posse argumentum desumi, vel quòd verè in effectu non esset quis quam tunc temporis ætatis alterius, qui & annis & consilio factus maturior ad hoc præsidii genus accederet, præterquàm adolescentuli ipsi soli, qui tanquam novi in arte exercenda, & paucam habentes experientiam rerum rerumque peritiam de facili in errores labuntur, in quorum erratis si de errore errantis cujuscumque accidat cum aliquo verba colloqui causamque imputare, solemus dicere interdum compatiendo imperitiam *e giovane ancora*: vel quòd per limitationem eam ætatis velit propterèa inferre Galenus quòd non nisi imperiti & errantes sanguinem mittant.

*Qui neque de vene sectionis mensura, neque de venarum secundarum ratione quicquam audiverint.* Veluti facere solentii, qui omnino incapaces & rudes in sua manentes perfidia verba quælibet negligunt suadentis bona & fructuosa consilia, & nec de quanto, nec de quomodo volunt audire, in quorum perseverante jam pertinacia dicere habemus de more *È assat puoi sanare, che non ne vonno sentire di niente.*

*Ad præsidium hoc.* Ut denotet Galen. non opis, non auxilii, nec quidquam juvaminis laborantibus ferri eo admoto hoc ratione præsidio, cujus ea est ratio & proprietas, ut juvet, & si non juvat non debeat dici præsidium, in harum duarum vocum descriptione post ponit pronomen argutè quidem & doctè, nam si dixisset *hoc præsidium* anteponendo pronomen vis locutionis &

sonus qui auditur pronuntiæ, remaneret plus durans in ultima voce *præsidium* dicente juvamen, quod nolens Galen. admittere, quia vult negare durare juvamen eo modo in præsidio, & vanum idcirco tunc esse remedium, præsidium ita præponit, ut per subsequens statim pronomen sonus vocis præsidii juvamen dicentis, quo caret temerè eo modo usurpatum, personum alterius vocis minus obaudiatur, & subito experians vanescat, ne fortè tanquam vanum existens eo tunc remedium improbari & redargui succedat, non secus quàm si displicent inepta aut absurda dum proferruntur verba alicujus solemus monere objurgando & dicere *zitto non te lo far più sentire*. Quin etiam descriptum vult esse pronomen in ultimo quæ demonstrans est vox sanguinis missionem, ut sicut prolatum in sermone postremum suus sonus magis producitur, remanetque evanescente priore sono præsidii magis in auditu perdurans: ita sit dicere fieri cum Practicantibus istis remanere solum in fine, ac perdurare illorum semper abusum à pronomine ostensum, juvamenta verò dicta à præsidio nequaquam, quæ ad instar dicentis vocis statim vanescunt, & sic promissa per nugatores istos à nullo quod sit conferente remedio malè usurpato, velut umbræ dispereunt. *Se ne volano in fumo.*

*Se se accingunt.* Eisdem illudens Galenus pro effrenata quam habent ad venam secandam propensione, er duplicat dictionem se, ut eorum libidinem denotet, qui in admovendo profidio ita voluptuosè se gerunt & oblectantur ut se ipsos totos nulla sui parte relicta *de capo a piedi* ( ut dicitur ) rursus & rursus se exponant paratos & prom-

promptos ad id exequendum : & *Accingunt. i. si alliffano, si frettoliano, e tutti s'infettano* ( ut est dicere ) more porcorum.

*Id statim.* Venæ sectio videlicet quam ostendi velut ad digitum vox ea demonstrativa, insinuans non aliunde derivare inconueniens dicendum, sed ab ea pendere omne malum, ut *ab equo Trojano.*

*Ut dictum antea est.* Quasi indignatus Galenus & ægreferens malum ejusmodi à Practicantibus istis non animadverti non præcognosci, & quod nec etiam ab ipso edocente perdiscere curaverunt, illud exprobat aliàs se docuisse, quemadmodum increpantis est modus, quum in eum irascitur, qui exequi sua mendata contempsit, dicere *te l'hò detto piu innanzi altre volte, e tu non lo uvoi intendere.*

*Ab ipso quoque initio maximum afferet nocuumentum.* Quoniam ingentem esse talem noxam intendit Galen. ostendere, ut vocat ipse nocuumentum è sanguinis missione proveniens, ne quis diceret saltem quanto incipit noxa fieri esse tunc levem, fieri verò post graviolem malo incremente juxta Hippoc. aphor. 30. section. secundæ dicentis. *Circa initia & fines omnia imbecilliora, quum vetò consistunt fortiora.* Volens propterea noxam eam exaggerare dicit usque à principio esse talem, qualis est gradus superlativi ( ut apponit ) quæ major esse non potest. *Adhuc secundo* majorem intendens exaggerationem facere, ne quis diceret excusando non esse sanguinis missionem quæ lædit immediatè, sed aliud intercedere medium temporis, vel lædentis alterius, à quo nocuumentum proximè inducitur, rectè apponit hoc

verbum *affert*, ut denotet non aliunde contingere offensionem, sed ab ipsa secum sanguinis missione portari *appesa* ( ut dicitur ) *à centura conessa*. Quin etiam volens & tertio rursus noxam exaggerare, non per detrimenti voces vel damni læsionem descripsit, quæ ambæ voces etiam quid privativum possunt denotare quantoque utilitatis & commodi non ( ut par esset ) percepti, sed *nocumentum* placuit appellare, quod positiva est vox magis, ut positivam videlicet esse notaret eam talem offensionem *nocimento marcio sfacciato* ( veluti diceremus. )

*Præstiterit igitur illos.* Qua propter expedire plus infert *illos*, si iidem adolescentes de facili errantes qui sanguinem mittunt, & sic Practicantes hodierni similiter, qui eorum vestigia sequuntur *fanno tutti per una regola* ( ut dicitur. )

*Neque penitus vena sectionem aggredi.* Sanguinem mittere non præsumant *penitus* sine sit intelligere *in conto nessuno*, sive *di nullo tempo mai*, sive *espediente o non espediente che sia*, sive *manco cantillo* ( velut est dicere. )

*Quàm citra respectum dictorum.* Quàm non servatis propositis dictis, dictisque servandis mittere sic temerè ( ut faciunt ) *à spacca strommola & occhi di porco*.

*Auxilio manus admovere.* Itaque fore melius vult remanere conclusum, nedum non impellere non projicere manus, sed nec etiam approximare, & ne quidem movere *non le manco fricciare* ( ut eadem sua voce datur audiri ) ad venam secandam.

Plu-



*Plures non hac ratione.* Aposteriori suam probat illationem à rerum eventibus capiendo, nam facta collatione eorum quæ à sanguine misso, & quæ à non misso evenerunt, numerosiores narrat laborantes fuisse mortuos *hac ratione*, à sanguine misso videlicet quàm à non misso. Sed qualem inscribit esse rationem ad id quod nullo jure fieri dictum est supra? Dicatur esse sic scriptum ironicè in Practicantium contemptu, quos ut Galen. derideat magisque subsannet, per ironiam dissimulando sic dicit *hac ratione* velut si diceret *con questo bello giuditio loro, e modo che tengono.*

*Perierunt.* Sunt mortui, quinimmò occisi (ut sonat vox ea) nam si vocabulorum significata subtilius interpretari velimus, non paucam inveniemus secundum communem vulgarium usum & modum loquendi inter *Mori* & *Perire* differentiam adesse Denotat. n. *Mori* simplex quid planum, quod à solo etiam fato potest contingere sine opere alterius naturaliter, & ordine limitibusque naturæ servatis, admirationem & miserationem non ita pariens. *Perire* autem habet significare extraneum quid durius, calamitosum, fiens cum vi ante tempus, celerius quàm sit ordo & præscriptum naturæ, admiratione & miseratione non carens: quemadmodum si cuiquam accidat maledicere & blasphemare, aliud sonat dicere *possa morire*, aliud *possa perire*: nam non habet dictum est primum sic obdurescere re in auribus blasphemati, quia potest (si velit) accipere ac si quidpiam sibi dicatur, quod naturali lege sit adventurum suo tempore, ut communiter accessurum est cunctis sine infortunio, & potest

etiam decenter tolerare blasphemiam : at dictum posterius tanquam quid denotans calamitosum ; extraneum , fiens cum vi ( ut diximus ) modo illegitimo , extra cursum , antequam debitum naturale obdurescit , quia cum majore maledicentis indignatione , supercilio , & odio prolatum offendit & displicet semper , quod non sic facile potest sufferri , sicut contigisse fieri per istum abusum incongruæ sanguinis missionis volens Galen. innuere mortuos esse per vim laborantes , inopinatò & momento sic raptos *Comepolcini dal niglio* quasi dolenter & mi serendo dicit ipse hos periisse , nos esse occisos.

*Quàm quibus non fuerat vena secta.* Quàm fuerint mortui videlicet ex iis , quibus sanguis fuit servatus minimèque detractus. An non hoc unum Galeni argumentum à nocentibus sumptum posset pro opinione nostra sufficere ad diruendam contradictorum perfidiam ? Si adolescentum hunc usum , & qualem similiter habent Practicantes hodierni , & pejus sanguinem detrahendi , tanquam magis damnosum Galen. redarguit , quàm alterum dimittendi , quomodo usum trahendi recipiendum esse possumus affirmare , & sic esse de mente illius insuper comprobare ? Quomodo ut magis salubrem debemus recipere in praxi ? Quis enim tam rudis , tam mente captus fuerit viator , qui de duabus itinerum viis , quarum altera est altera difficilior magisque præcipitans , velit relicta minus difficili per magis præcipitosam incedere ? An non mirum mirissimumque debet videri tantam posse persistere pertinaciam Practicantium istorum , ut in luce

luce meridiana coecutientes non videant miseri etiam circulatoribus se esse ludibrio, qui ut institutum morem ipsorum derideant, in simulatorum morborum medelam, quibus colloquendo in plateis laborare se infingunt nugando, statim habent in ore sic lapidè dicere, & alter alterum admonere *fatti na cura e'nsagnati*? Ut quid ita nugantur ii, nisi ut ipsorum usum blasphement & subsannent? Quæ tanta hallucinatio, tanta stultitia? Valeant igitur si nolunt perire sic pertinacens, & nos in pace redeamus ad textum.

*Nam medici natu grandiores.* Reddens rationem disparitatis eventuum dictorum eam esse ait propter diversitatem artificum, eorum sed mendantium qui sanguinem non habebant mittere in usu, & eorum qui maximè habebant: priores non mittentes medicos ipse appellat, & quidem jure: posteriores verò mittentes quales sunt Practicantes hodierni tanquam nos in arte, & de facili errantes adolescentes merito in principio capitis appellavit, quin etiam, & ne dum Medicos eosdem non mittentes vocavit, sed *natu grandiores* adjunxit, ut ob ætatem, quam ideò in his signat adultam sapientiores propterea deberent haberi, essentque plus venerandi, magisque imitandi.

*Venas tunc temporis nunquam secantes.* Si etiam num quòd à sanguinis missione abstinerent omnino, ut faciebant ii medici grandiores, non ita dicit referre Galen. volens illos quasi excusando minus culpare, quanto esse melius debet concedi juxta ipsorum met placitum Practicantium, si non omnino abstinere, sed quandoque etiam

mittere habeatur de more, ad exigentiam facti & morborum *aggiustatamente* ( ut dicitur ) *con lo piombo e con lo compasso?*

*Aliis evacuatoriis auxiliis utebantur, quæ idem quod vena sectio, verùm longiore tempore efficere poterant &c.* Hæc est ratio à priori cur avari & parci sanguinis missionis melioris esse dicantur conditionis, & melius efficere, quàm qui largi abundantes nam tametsi utilitates & commoda, quæ à sanguinis missione rectè indicata & ritè jam facta proveniunt, non momentò illi percipiant: est possibile tamen aliquo temporis tractu cum vacuantibus aliis remediis, quæ tantumdem quod venæ sectio possunt præstare frictionibus, balneis, abstinentia sanguinis missionis vices supplere, & ejusdem effectus cum commodo habere, quod nequaquam asserendum est posse dari in iis qui sic frequenter & temerè sanguinem mittunt practicantibus hodiernis, ut valeant pari ratione sanguinis non rectè detracti incommoda resarcire, ac etiam cum paulò minore ne dum æquali juvamine noxam post compensare, ut mox testando fatetur Galenus, Galenus qui fatur, qui sic faciendo tãstantur Galenus.

SED QUI NOSTRA TEMPESTATE FEBRES CUNCTAS ( *scrivia molo à lettre tonze di marzapane chlogni persona l'intenda* ) IN PRINCIPIO VENÆ SECTIONE INDIGERE PUTANT NON MEDIOCRI HERCLE NOXA ÆGROTOS AFFICIUNT. *Anza sso fiasco e mondati sio niespolo.*

Neapolitanis sic vocibus lepidè mos est dici  
quan-

quandoque à quibusdam obviam adversanti quum de re contraversa fit altercatio, si cum digno aliquo argumento vim faciente, aut formalitate textus allati inferatur conclusio ad quam responderi videatur non posse in contrarium, æquè ac cadit nunc casus nobis dicere adversus hos Practicantes ad faciem positionis Galeni, à qua quum ne in commate quidem variet conclusio nostra, sed qualis est Galeni positio talis sit nostra conclusio, & ipsius ea ipsa verba nos transferamus ad verbum, videtur ea propter nihil secus ad hæc rationabiliter objici posse, & contradicere nobis esset Galeno ipsi adversari. Etenim *come ce la nò cantarè pià chiara?* ut ita dicamus. In qua etiam num Galeni positione alia verba tria ad majorem eorundem confusionem ponderare non displicebit.

Primum est *non mediocri* adjectivum 'verbum quod ad noxam apponit magnæ æquipollens, volens rursus per id Galenus ut pro magnitudine læsionis provenientis ab incongrua admotione præsidii timidiores nos redderemur, & eò magis caveamus ad admovendo.

Secundum est quod *herilè* adverbium adjecit, quæ vox est & modus jurandis, ut majorem nempe veritatem habere ea crederentur quæ tunc dicit confirmata amplius cum juramento.

Tertium licet primum in ordine loquuti sermonis est *ly Putant*, ut inde valeret inferri, quòd si ex quo solùm habeant in mente (ut tantum modo sonat id verbum) ne dum faciant medentes ejusmodi magnam inferunt noxam, quanto major hæc dicenda post venit ad opus completum sanguinem

nem missum ab iis, remissum, atque trimissum? An non idem est quem ex professo Galenus hic damnat medicorum suæ tempestatis errorem febres omnes venæ sectione curantium, qualem detestamur nos in tractatu hodiernorum Practicantium abusum in sanguine sic libenter (ut faciunt) detrahendo? An non hi similiter sicut illi, & pertinacius, putant febres omnes venæ sectione indigere, ad unum Galen. locum xi. meth. velut ad anchorum sacram statim confugiunt? *saluberrimum est in omnibus Febris venam incidere.* An non sunt Galeni ipsissima verba in hoc capite aducta? sunt certè, & ab ipso prolata in ultima ætate facta jam seniore post editos libros de methodo, experimentis, & observationibus visis, quas juvenis antè non dum fortasse tot noverat, plurimos ex hoc ineptè temerèque administrato præsidio fuisse peremptos, sicut perimi quotidie est videre, & contrà vix, & neque è millibus unum, qui eo relicto sit suffocatus & mortuus: nolentibus pertinacissimis istis de duobus malis sive periculis evitare pro meliori electione saltem quod esset majus, ut melius esse est divulgatum vetus præceptu, & ita insuper fieri Galenus debere commonefacit, nauseabundus similiter factus de eo practlicantium abusu, qui ex admoto præsidio majus detrimentum perniciemque comparabant ægrotis. Unde seniore observatione perdoctus quasi pœnitens se traditorum ea de re monumentorum suorum, immutandam sibi ait esse sententiam, & admonendum persuadendumque contrarium his ibi verbis paulò post subditis. *Sic mihi quoque propositum meum omninò immutandum est, eaque ratione inhibendum*

dum

dum censeo illis qui hactenus venas temerè secarunt, ne eas in posterum penitus secent ( ut enim Plato ait ) minus aberrare eos consentaneum est qui ea non aggrediuntur quæ minimè norunt, quàm qui illa tractant quæ nunquam didicerunt. Ecce quomodo ad nocumentum ad noxam eam vitandam, quam verè semper medentes ii juniores temerè venas secando afferebant consentaneum erat suadere, ut à Galen. suadetur hoc loco, ut usum præsidii jam dicti vellent potius dimittere *penitus prorsus omninò*, sine videlicet casus ullius exceptione, indifferentur omni tempore & casu etenim dum vocem eam *penitus* ad inhibitionem amplius Galen. adjungit, non aliud per eam datur intelligi, quam si diceret ut nullatenus, æquum sit vel non æquum, vellent amplius venam incidere, sed perpetuò abstinere, & in totum. Ergo si ad juniorum tantummodo errorem sic indignatur Galen. ut remedium in signe toties cantatum, & commendatum velit totaliter debere rejici ab usu, quid diceret hodie, quæ faceret si modernorum usum & morem observare nunc quoque daretur? Qui quidem omnes non juniores solummodo, sed quò magis doctrina sunt clari, in arte & ætate provectiores, eò pertinacius sequi volunt abusum, tam profectò indignè, dum empiricè quidem imitatione aliorum, non autem ex ratione id moliuntur (pace sit dictum doctorum virorum qui benè operantur) ut vix dici possit quanta esset opus effundere verba, quot libros conscribere, quæ jurgia, quas contumelias in carnificia Practicantium istorum, quibus propterèa haud quidquam occurrit quod adversus nos latent, qui certè nihil proferimus non prius prolatum ab ore  
magni

magni magistri. Valeant igitur rursus si nolunt perire perpetuo obstinati, & nos cum Domino Excellentissimo protectore & consorte nostro vivamus in pace, & feliciter, ille semper in gloria nominis sui.

---

C A P U T X V I I I .

**P**ROPTER quæ posita sat scimus contradictiones nobis esse objecturos. *Dunque uoi tu per quattro parole scappate a Galeno quà di passaggio in uno capitolicchio sperduto mancamente la dignità l'eccellenza di remedio così singulare celebrato dall'istesso Galeno e da Hippocrate in tanti libri e in tanti volumi, approbato dall'uso poi di tante nationi, genti, e paesi che sono per tutto? Non pudet ita præsidium parvipendere sic generosum? Ut possimus his satisfacere adsint quæsumus bona verba. Adaso messè Biase (dicunt Neapolitani) Galenus est prior qui loquitur ita, qui fatur eo modo, qui sic abusum detestatur præsidii, & nos ad imitationem ipsius id ipsum cum ipso affirmantes benè verum esse concedimus præsidium hoc in sua rectitudine sumptum, prout in plethora sulum, & in exigentia casuum suorum adhibetur rectè indicatum, & sua quoque repugnantia non adsunt, esse tum magnum, tum generosum excellentissimum: attamen (quod ipsi cum Galen concludimus) in manibus Practicantium istorum, quos non pudet etiam non indicatum*

con-



consulere & malè usurpare ( salva pace , ut est dictum doctorum Virorum , quorum sumus discipuli & servi ) quia tam frequenter ab eis in usum temerè inducitur , adeò violatum adulteratum vilescit , ut indignum sit dicere quam sit vanum , sit irritum , & ut plurimum experiatur esse damnosum : quapropter meritò sumus ambo cum Galeno coacti adversus pariter conscribendo re-torta pudoris objectione in eosdem met Practicantes damnare usum ipsorum , & ipsos ab usu dehortari ut nescientes indignos. Et respondendo ad primum instans de paucitate verborum Galen. & expositi capitis brevitate respectivè ad multa quæ diversimodè ab eodem Galen. alibi apparent conscripta, dicimus disparem esse rationem non parùm differre dictum ab actu. Majorem vim experimur faciendam esse in actu suasorio , quam sit contrà faciendam in actu dissuasorio. Etenim in suasionem, quoniam opus intenditur , & ens aliquod faciendum , & ponendum in esse , quæ positiva est actio , & quidam motus, in quo mobile , ut operetur eget alio movente impulsore uno, duobus, vel pluribus juxta entis ponendi conditionem , oportet suadentem ad majorem vim faciendam , quæ tunc requiritur ut possit mobile impelli , & ens illud ponatur in esse completo , illa duo vel plura excutere , & in adjumentum subministrare : at in dissuasionem quùm nullum sit ens inducendum , sed entis potius positio negetur , nullus includitur actus & motus faciendus , & sic mobile quiescendo & manendo ex se solo operatur, & impulsore non eget. Unde quùm non habeat necesse dissuadens aliud perquerere quod afferat in adjutorium , minus habet laboris , & illud

unum

unum est sibi satis munus completum, operis scilicet denegatio, & designati entis facta interdictio. Quoniam igitur actus hi utrique & suadendi & dissuadendi præsidium à Galeno sunt præstiti, id præstitisse Galen. hac in re nobis videtur (ne ipsum inconstantia cum Fernelio accusemus) quod facere solet pater familias, qui adolescentem filium agnoscens statuentem omnino velle de domo discendere, & dignitatum honorumque gratia comparandorum inire bellum in castris cum hostibus ad pugnandum. Horum præmiis intuitu primo, spe vincendi, & lucrorum pater allectus, non de cætero cogitans filium instanter hortari & admonere non cessat quomodo nempe sit milites componendi, quomodo arma gestanda, quomodo agmina construenda, quæ loca ad offensionem eligi debeant, quæ ad defensionem, & alia monet quamplurima in certaminibus, pugnis, obsidionibusque gerenda pro debellandis hostibus & trophæis cum victoria obtinenda, nihil demum quod pro bello feliciter absolvendo, & reportandis spoliis victorum sit peragendum admonere præteriens undequaque diffuso sermone, historiis in facto, & exemplis adductis. Verum quum ad evitanda etiam pericula belli tali & tali modo multa inhærentia, & ad superandas nec non difficultates pugnarum amplius prosequendo vult commonere, ut paternæ pietatis officium ipse persolvat, & illi quomodo debeat se gerere, ut præcavere possit edoceatur, quo plura commemorando, & majora dicere occurret, eò magis anxium tunc patrem formidantem de nece filii, & miserantem consti-

tuent,

tuent, maximè si nimis audacem, pericula temerè lubeuntem, & puerum incautum illum agnoscat. Unde malens postea incolumitati & vitæ parcere filii, dimissa bellorum laude & encomio, eorundem honoribus quæstibusque neglectis restringendo verba & sermones, ut contra à bello filium dissuadeat, satis postremò sibi videtur sic pauca indicere illi. *Ma lo meglio figlio mio sarà che ti stii, e della guerra che ha tanti pericoli e non fa per te, non ne vogli proprio sapere.* Est ne propterea dignitati bellorum subtrahere filium eo modo admonere? Quid est opus in actu hoc postremo verba multa jactare, & bellorum ibi advocare trophæa & triumphos? Id ipsum fecisse Galen. videtur ad præsens, qui à dignitate præsidii in sua rectitudine positi adolescens prima ætate speculando commotus ad usum illius posteris persuadendum, quia magnum erat negotium, illud ens nempe inducendum utile expediens, ob quod plus habuit libros conscribere & volumina implere, tam ut ejus præstantiam & commoda percantaret, tum & ejusdem conditiones, requisita, indicantias, distinctiones & limitantias, aliaque proposita centum coadiuvantia atque advertenda posset sufficienter exponere, attemen observationes in facto postmodum faciendo & progressiones in operibus artis animadvertens experiendo tot pericula, totque difficultatos in illius admotione inhærentes, interituumque successiones, qui eò magis ob temerariam Practicantium hujusmodi perfidiam inde consequebantur, de ægrotantium salute sollicitus, & de illorum nece formidans, ad dissua-

den-

dendum secus quàm consulverat in tot monimen-  
 tis usum præcantati præsidii, quod entis illius est  
 denegatio & facta interdictio, minus habuit la-  
 boris, & sic satis sibi sunt visa ea pauca capituli  
 hujus conscripta, ubi mutato proposito ( ut ipse  
 dicit *omnino. i. determinatè* ) adhuc bina vice  
 totalem eam vocem *penitus* repetendo, & præ-  
 cipiens eo modo, ut propria jam adducta sunt  
 verba ibi *præstiterit igitur illos neque penitus ve-  
 na sectionem aggredi, &c.* Et ibi quoque. *Ne  
 eas in posterum penitus secent*, dissuasionem ab-  
 solvit, sive ad tempus sit vocem eam referre,  
 sive ad resolutionem intentionis, sive ad occa-  
 sionem, vel quantitatem ut supra exposuimus.  
 Est ideò ne pariter cum Galeno simul hæc fando  
 tam benemerito de præsidio præsidii dignitatem  
 velle detrahere, & sua existimatione fraudare?  
 An non potius ii ipsi sunt Practicantes meritò de-  
 tractores præsidii dicendi, qui in frequentem sic  
 usum illud duxerunt, ut Circulatorum in scam-  
 nis ( quod diximus ) sæpè sit nugæ tum fabula  
 in plateis? Quæ dignitas æstimari in admoto  
 præsidio tunc potest, si in diminutorum etiam  
 malo crepitorum færentium permittunt interve-  
 nire, & excellentiam ejus dedignare non faci-  
 unt? Siccine magnitudinem ejus est honorare,  
 & adæquare cum illa quæ est primi sui scopi? Ut  
 succurrat færentis alui impotentia? Famuletur  
 cunctis indifferenter toties & quoties, cauponi-  
 bus & coquinariis gulæ indulgentibus? Cur  
 non in majestatis suæ throno sinunt sedere, &  
 benè velatum ( metaphoricè ut sic loquamur )  
 ut quò rarius sit patens, conspiciatur à paucis,

eo sit carius, sit dignius, plus venerandum? Ut  
 quid enim sanctorum imagines & reliquiae rarius  
 exhibentur conspiciendae, nisi ut magis vene-  
 randae reddantur & digniores? Si ne conspiciere,  
 quidem in maiestate tam saepe est tunc fas pro  
 suo decore, quanto minus debet licere tam fre-  
 quenter ( ut faciunt ) manibus pettractare, &  
 illotis sine nitore ( ut non munus est sapientiae  
 & doctrinae ) revolvere & perfricare? Abeat  
 igitur abeat à mundo huiusmodi abusus, delea-  
 tur à libro viventium, & pereat mos ille dam-  
 nosus temerarias sic sanguinis, in febribus ma-  
 xime, tot instituendi missiones. Et ne per hæc  
 verba iracunda contradictoribus detur occasio  
 dicendi aut opinandi intendere nos remedium  
 insigne in totum rejicere ab arte, & non haben-  
 tes ipsi quid dignum quod verbis & operi oppo-  
 nant, anam inde surripiant Erasistrataei nobis  
 nomen imponere, *che ne mentono pe la gola.*  
 Non pigebit ad complementum intentionis di-  
 ctorum nostrorum pro dignitate praesidii tuenda,  
 & ansa auferenda blasphemiae de novo hæc pauca  
 quæ sint pro summario conclusionum factarum  
 iterum repetere & connotare. Et dicimus ex  
 Galen. cum ipsis conveniendo bene esse in se verè  
 & realiter remedium hoc sanguinis missionis præ-  
 sentaneum tam præstans, insigne, & in magni-  
 tudine dignitatis sublimiter elevatum, ut majus  
 esse non possit, amplectendū similiter & cæteris  
 præferendum. Verum tamen est quoque decens  
 & consentaneum asserere, ut non detortum &  
 sic à casu, sed in sua rectitudine, tum consultò  
 debeat administrari, quemadmodum negare

non possunt: quòd si displiceant conditiones, & velint esse faciendum liberius invehant in Galenum qui prius adscripsit tam in libro prædicto adversus Erasistratæos sub ea voce *ceterum* capite sexto, quàm in primo Glauco capite decimo, ibi *sed adhibita* &c. Et aliis in locis centies. Quæ rectitudo ut brevius, atque succinctius explicetur, hi sunt qui rectè exhibendo præsidio à Galeno & Hippocrate traduntur canones observandi.

Primò ut à pari competitore sit laceffitum adversario magno morbo videlicet ut suadet suus primus scopus, qui est *magnitudo morbi*. Esset enim indignum tantæque majestati indecorum cum inferiore velle pugnare: Secundo ut ætate florentibus auxiliari plus quam reliquis diligit; monstrat hoc *ætas florens* alter suus scopus, quam pueris nempe & provectis, aliisque indifferenter, quorum postremi tanquam viribus impari morbo, facilè ad ictus illius possent occumbere, secus quàm ii priores qui validioribus viribus roborati adversantes impetus valent melius sustinere, & sic timere non habent, vulgatum est enim validas vires omnia spernere. Tertio ut ubicunque vires jam dictæ abundantes non sunt nequaquam præsidium intervenire sinatur, ut alter innuit suus scopus *virium robur*. Sunt namque vires eæ tanquam loriceæ tum offendentes, tum defendentes ne intro penetrent hostiles sagittæ & vitam confossis cum sanguine fundant. Quarto ut nisi electum sit, & proprio nomine à suo indicante vocatum ad pugnam minus sinatur accedere, intercedens hoc monstrat discrimen quod

quod est *plethoria* cum altera causa, esset enim contra faciendo non ex vi necessitatis cogentis, & provocationis irritamento rixas & lites suscipere, sed ex voluntate & amore, in quibus utrisque illis quum non desint pericula & fines incerti, est amando pericula perire interdum in illis. Quinto & ultimo ut ante quam præcantata Galeni proposita expendantur, & benè sit cautum num liceat, vel non liceat tali & tali modo auxilium præbere nullatenus præbeatur: esset enim præbendo tum inconsultò & improvidè velle altercari, tum temerè & sine ratione, contra quod habetur communiter *là spada e la guerra vuol ragione*. Unde pejora sic jura in certamine habendo, peiores similiter partes posset inde obtinere: indicatur hoc ibi, *primum quàm enim venam seces* &c. Et alibi centies in locis. Quibus quidem omnibus prævisis, attentis, ac intellectis est benè tunc expectare fore cuncta ope & favore adjuvantis præsidii successura ad votum fæliciter velut est decens pro beneficio & auxilio tanti fautoris: ut debellato nempe hoste perverso magno morbo videlicet sit gavivifurus pugnator obtenta victoria minister artifex præmiis condignis, & demum auxiliator sibi debito honore.



## CAPUT XIX.

**Q**Uòd si amplius contendere velint contradi-  
 ctories, & dicere non esse se de iis qui sic  
 frequenter & temerè venas secant, sed consultò  
 semper id agere solùm, quod casum opportu-  
 nitas docet. Nequaquam est verum, & men-  
 tiuntur, nam id ipsum est peccatum ipsorum  
 præcipuum ad cætera inconvenientia trahens cu-  
 jus ratione arguuntur à nobis, quia mordicus  
 tenent in omnibus febribus venam esse secandam  
 contra expressa verba Galeni superius adducta,  
 hæresim esse credentes si qua in febre derelinqua-  
 tur, ob quod à deò luxuriosè in cunctis postmo-  
 dum secant, ut de indicantibus, & contra indi-  
 cantibus scopis nil dignum postea velint audire,  
 & nec rationes neque argumenta capere possint  
 aut velint, & redarguti proinde tam vana &  
 absurda loqui coguntur, ut nullo argumento  
 eos convincere sit possibili. Etenim si de morbi  
 magnitudine agatur quævis ea sit febris, quam  
 neque verè, neque verisimiliter esse magnam  
 tunc possunt probare, ad quod dicitur de præ-  
 sente vel imminente statim recurrunt, & hoc vel  
 illud chimerizant instare periculum. *Si pot ria*  
*( inquit ) malignare la febre, fare una*  
*convulsione un delirio, & assaltare l'humori à*  
*qualche parte principale e sarta finita: lo*  
*meglio è ponerci ol sicuro una suentatella di vena*  
*che cosa è? alleviatur natura &c.* Et sic quod  
 est



est solùm possibile in tota natura, licet à tali febre longo sit tractu, & minus prælagiatur in ea, cum eo complicantes & confundentes quod est proxime imminere in qualibet febre parva & tutissima in ephemera & exquisita tertiana sanguinem mittunt. Si & secundo quærat de virium robore & quis est (inquiunt) tam delicatis viribus imbecillis, qui quatuor uncias sanguinis cxxx. libris quas habet & plus sibi detrahi tolerare non potest? Unde in mortis vicinia & propè rogam phlebotomant ut diximus supra à viro celebri factitari solere. Si item & tertio disputetur de languentis ætate quæ sit minore, Singularem statim citant locum Avenzoaris, Celsique auctoritatem adjungunt de trimo puero & robusto sene, & genus formantes id quod est speciale individuum etiam senes & pueros dissecant quadrimos & trimos. Si & quarto de cujusvis natura queratur & corporis habitu, hunc hepar pronunciat habere inflammatum & ardens, egere propterea præsidio ad ventilandum calorem, unde nec delicatis nec mollibus ullo modo parcere sciunt, sicut, in fratris nostri & prægnantis mulieris historiis supra enarratis ad utriusque necem factum fuisse retulimus. Si & quinto ad anni tempus sit habendus respectus aut locum, respondent cum Manardo potius lotium quam astra. Et sic nullo unquam non tempore & loco venas secant. Si demum de febris principio & diebus excursis difficultas nascatur, respondent numerus dierum non indicat, ex Galeno etiam die vigesimo licet phlebotomare, & sic obcæcantes quod dicitur in Galeni positione primum per se & sexto & septimo die phlebotomant

mant decimo & xi. & quandocunque sunt accersiti.

Nuper novimus. Illustrissimum quemdam adolescentem, qui quum inordinatis intempertivis eduliis ventri indulgeret, fortè etiam venereis, & ob ingluviem indigestionibus cruditatibusque refertum tota gens prædicaret, indeque fieri diceret ut sæpè is ægrotaret, est tandem delapsus in febrem quotidie affligentem duplicem tertianam, sive duas libeat appellare, quam intermittere à principio est observatum cum vomitu biliosorum excrementorum in diebus majoris afflictionis imparibus, quæ terno insultu die 3. 5. & 7. ad quinque vel sex ferè libras ejecit: ad cuius tamen curationem à quodam medente juvene etiam die quinto fuit vena secta, contra Celsi præceptum dicentis in libro secundo suæ medicinæ, capite decimo nunquam utile esse post quartum diem sanguinem mittere, tum non obstante quod transactum esset sic febris initium incidenter dimissa phlebotomia à principio tum quòd ad vomitum tunc esset natura propensa inde vergens ad se exonerandum, tum quòd de præacta vita constaret esse illius intemperantem cruditatibus comparandis obnoxiam, qui intemperantes ex Fernel. in capite decimo sexto, sui meth. & ex Galen. ante ipsum in primo de humor. commote duodecimo venæ sectioni non sunt idonei, tum quòd sic impura biliosæ illius materie viscera cernerentur & primæ venæ. Et quæ sunt igitur alia ( *alla mal' hora* ) quæ Galen. observant proposita? Num si ut supra locum adduximus gracilior quis æger sit factus aut crassior? Num si sit vel non sit

fit plenitudo, & qualis? An si qua sit solita vacuatio suppressa? Num quanta sit qualisque putredo, ægroti vires, ætas, consuetudo, motus naturæ, impetus morbi, locorum temporumque status & constitutio? *tanto mi doglia capo, quanto ne offeruano pagliosca* (ut consueto utamur vocabulo Jacobi Bonaventuræ medici quondam illius clarissimi Apulienſis, quando negare occurrebat.)

---

## C A P U T XX.

Sunt quidem & amplius, qui pertinacius abſutum ſequentes eo veniunt dementiæ, ut contendere velint etiam in cacochymia licere ſanguinem mittere, dicunt probari id ex Galeno, qui nedum ſilentio non prætereundam poſitionem talem non fecit, ſed nec etiam ſomniavit, nam tametsi alicubi aliquo ſuaſus reſpectu ne pravus videlicet ſuccus, vel quia ſanguinis copiæ mixtus, vel quia ad aliquam tendat nobilem partem, vel quia majorem poſſet fluxionem ciere in aliquod membrum particulare, & nobile, ad divertendum, vel quid aliud malum vitandum, quod aliter effugi non poſſet ſanguinis interdum conſulat miſſionem, ſive etiam ſi tanta ſit cacochymix multitudo ut periculum inſtet citæ ſuffocationis, cujus multitudinis ratione ut citius malum allevietur, exonereturque natura multitudine

oppressa sanguinem mittere sit expediens, sunt tamen hi casus omninò respectivi & particulares, qui positionem, universalem & absolutam distribuere non valent, habentque ad huc ipsa sua requisita & conditiones, sine quarum adimplemento neque etiam verificantur in illo esse. Non enim (exempli gratia) ex eo quòd in vaso cuiuspiam licet ad sui defensionem invadentem quandoque inimicum occidere, valet facere positionem absolutè, & dicere quòd sit licitum inimicum occidere, est namque casus ille specialis, & respectivus defensionis, & adhuc ut licitum eundem casum constituat, oportet ut servet sua jura & constitutiones, nempe ut occidat occisorum moderamine inculpatae tutelae trium illorum quæ debent concurrere, armorum scilicet paritas, incontinenti, & animus defendendi. Neque per hoc contrariæ legis dispositioni fit aliqua derogatio, & dignitati in generali positione, sed semper est congrua ea locuto simplex & absoluta, non licere interficere quemquam. Ita ad propositum nostrum, tametsi in aliquo affectu particulari vitioso existente tunc sanguine etiam citra plenitudinem sanguinis consulatur interdum detractio, aliquo suadente respectu, in principio videlicet phlegmonis, quæ propter ictum, casum, dolorem, partiumque debilitatem solet succedere: non tamen ob id est facienda simplex positio, ut faciunt hi pertinaces, etiam in cacochymia licere sanguinem mittere, quia simpliciter loquendo & absolutè expressè id negavit Galen, distinctionem faciens inter generosum unum præsidium & alterum tùm in supra allegato loco comate

mate trigesimo primo, sect. 6. aphor. tum in fine octavi capitis, libri de curan. ratione per sang. miss. tum in 13. libr. meth. capite sexto. Adeo quod quum ex omni parte in opere & sermone hi Practicantes delinquant, & rationabilia non proferant, & non respectus, non rationes, nec ulla observent Galeni proposita, sed empirice in omnibus eodem modo semper incedant, nullo pacto salvari potest ipsorum abusus, quin merito veniat perpetuo redarguendus, relegandus, & abigendus: eo insuper satis convincente argumento ex natura rei de sumpto, quod dum ferè nunquam febres viscerum non junguntur impuritati, & quasi nunquam non ex crudorum humorum copia & pravitate nascuntur quæ in primis maximè venis colligi solet, ut dictum est Galen. in 4. de sanitate tuenda capite quinto nisi prius impuritas ea auferatur, venam secare nullatenus decet, ut docetur ibidem, quod fusioribus verbis confirmans postea Fernel. in tractatu febrium curandarum sic inquit, *eadem quoque impuritas viscera primasque venas infarciens obstat ne statim initio propria febris remedia accommodari possint, ea enim antequam vena sectio adhibeatur, expurgari postulat non parvo temporis viriumque dispendio.* Qua ratione desumpta tum temporis tum virium ante venæ sectionem faciendi dispendii, in sanguinis missione deliberranda, dum neque vires eo modo amplius sunt integræ, & neque initium existit tunc temporis, quum impuritatem eam eximere ante quartum diem in Regno non sit de more, quorum utrumque, ut congruè fiat sanguinis missio requiritur

ex Galen. xj. method. capite decimo quarto dicente. *Si valentes sunt vires*, & repetente bis *statim morbo incipiente*, & ibi ad Glauconem *ab initio statim*, post quartum verò diem nunquam sit utile auxilium ex Celso libro capite decimo sequitur inde ut dum utraque requisita eo casu deficiunt, neque prius, neque posterius venam iucidendi sit locus. Et eò magis si postulantium scoporum quis alius simul deficiat, quod quum sæpè soleat contingere, propter hoc dixit Galen. citato loco tertio de humoribus, ob defectum nempè scoporum non semper sanguinis missionem posse tutò exerceri. Impuritatem autem adjungi quasi semper in febribus iis norunt optimè Practicantes, quibus paucissimi febricitantes occurrent, quin torqueri simul notentur vel vomitio ne vel nausea, vel stomachi præcordiorumque dolore, oppressione, vel syncope, aliisque symptomatis, quorum singula ex eodem Fernel. loco citato viscerum denotant impuritatem: quibus symptomatis si sine sit febris, etiam nec tunc magna dicetur, & sic vacat primum alterum requisitum pro facienda decenter sanguinis missione. Quæ ubi adest impunitas damno majore in exinanitas venas commigrat quando cruditas, easque defœdat & implet, unde obstructions postmodum oriuntur, & mali habitus corporis in hydropes ut plurimum desinentes & mortes. Indignum certè medici gravitate atque præstantia, ut in cujus dilectione, curaque summa ægrotantium salus debet esse, & vitæ productio, sit miserè eorundem perditio improvida & finis.

CAP.

## CAPUT XXI.

Quamobrem ne in vanum cum Propheta laborare dicamur domum ædificandum sine numinis ope in eorum constructione quæ dogmati nostro jecimus fundamenta, doctiorum ad hæc potentius invocamus auxilium, eos rogantes Dominos & magistros, ut si qua volunt humani generis pia miseratione moveri, quæ hic desunt desiderarique possunt firmioribus amplius doctrinarum suarum lapidibus & columnis ipsi domum absolvanr opusque perficiant, non ad contentionem & improbationem dictorum, sed ad patrocinium eorumque tutelam scholiis adhære vel additionibus (ut placebit) adjunctis, ut munitum sic veluti in arce opusculum nostrum tutius à detractorum aculeis vindicetur morsibusque invidentium eodem habito intensionis finisque nostri respectu, ut evicta eò fortius, seu ad minus repressa Practicanrium istorum perfidiosa libidine  
cautior

cautior medendi methodus introducatur, normaque salubrior quanto admitti, vel non admitti debeant præsidium. Quæ superaddenda eò plura & elegantiora ex eorum ingeniis, & eruditione expectamus, quò clariori magis erunt doctrina scientiaque & quò magis rationales videri & cognosci exoptabunt, non empirici uno pede incedentes. Pro rudibus verò imperitis, quibus solum scripta hæc satis factura non esse scimus: nam quùm sint velut adulterini pulli in Aquilæ nido educati ad lucem solis inepti nequeunt veritatis fulgorem prospicere, si qui audebunt ex his, qui magis empirici capitis grossioris existunt his dictis velle adversari, hoc solummodo respondere sufficiet quòd quicquid secus sunt latraturi est prorsus contra fidem & veritatem, velle oppugnare *de brocca* ad dicta & facta Galeni. Cujus divinum ingenium si admirari solum & obstupescere, non est datum posse æmulari factum est tamen in hisce quascunque rerum summas posuimus, ut per eosdem nos gressus cum illo incedere, paresque casus fortuitos habere contigerit. Eodem enim modo, quo medentium ille sui temporis damnosas venæ sectiones  
est



est criminatus, importunas nos modernorum Practicantium sanguinis missiones notamus. Ut nos ille plures vidisse refert à sanguinis missione fuisse peremptos. Quomodo nos non omnes febres asservit ille venæ sectione indigere. Sicut nos ille Practicantium abusum mittendi sanguinem contra scribens damnavit. Eadem ille ratione qua nos medendi stylum cum eo præsidio dixit esse immutandum. Ad eundem postremò modum vetandam medentibus censuit usurpationem præsidii: quin immò dum ut penitus abstinerent adjunxit, nullos videtur voluisse ut exciperent casus strictiore ille inhibitionis præcepto quam nos, qui temerarium tantummodo usum detestando, nihil ulterius proponendo aut arguendo, sumus iisdem verbis ad verbum verba magistri loquuti. Adeò quod quùm nihil extremeum nonnumque à Galeni placitis dissitum scripta nostra continere convinci possint, non est contradictoribus locus; illa carpenti & dilacerandi, sed poterunt ex eis excitari (si velint) studiosi quicumque, ut si sequi nolunt & comprobare, materiam ad minus & ansam inde desumant,  
melio-

meliora ipsi commentandi & dicendi, &  
æquè præclarè cum eo ezercendi sua in  
genia per bella.

Ad laudem sit semper **DEI** om-  
nipotentis, Domini nostri **JESU**  
**Christi**, Amen.

**F I N I S.**







Ue 206<sup>a</sup>


ULB Halle

3

004 830 822



V077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

JOANNIS FRANCISCI  
DE FRANCISCO  
*Medici Turinensis experientissimi*  
LIBELLUS AUREUS  
DE  
VENÆ SECTIONE  
Contra F.W.S.  
EMPIRICOS



1001 511 244  
FRANCOFURTI & LIPSIÆ.

*Ex Officina Hafniensi, Christiani Hanboldi  
& Johannis Liebe.*

Typis AUBRYANIS, M DC LXXXV.

